EPISTOLA
AD MONACHOS BENEDICTINOS
CONGREGATIONIS PARISIENSIS SANCTI MAURI.

SUPER

QUIBUSDAM PARUM CONSONIS,
prætermissis, atque improbabilibus in vita Sancti Gregorii Magni ab ipsis adornata, & in Tomo IV. operum in lucem edita repertis.

AUCTORE

D. PETRO DE CASTRO, BONONIENSIS
Collegii Majoris Sancti Clementis Alumno.

MATRITI

CUM LICENTIA CONSILII SUPREMI,
& aliorum Superiorum.

Ex Typographia D. AUGUSTINI DE GORDEJUELA,
via publica Conventus Fratrum Carmelitanorum.

14

✠

REVERENDISSIMO PATRI ABBATI, CETERISQUE MONACHIS BENEDICTINIS CONGREGATIONIS PARISIENSIS SANCTI MAURI.

DUM præterito anno, RR. PP. Bibliothecarii munere fungebar in celeberrîmo Hiſpanorum Collegio Majori ſub invocatione S. Clementis Bononiæ erecto ab Eminentiſsimo Domino meo Domino Ægidio Cardinali Albornotio, codicem Regiſtrī Epiſtolarum S. Gregorii Magni veſtra cum editione accuratè contuli, variaſque lectiones excerpſi, ut quas publicæ lucis dignas invenirem, cum notis ad eas typis darem. Poſtea verò Dialogorum alium, licèt non ejuſdem Bibliothecæ, eodem modo, & animo perlegi. Sed cum ad abſolvendum hoc opus neceſſarium omnino judicarem vitam ejuſdem S. Doctoris à vobis Tomo IV. lucubratam inſpectare, eam legi, & relegi, quæ que parùm conſona, prætermiſſa, & improbabilia inveni, notavi, judicii rationem plerumque ex ipſis operibus deſumptam reddens.

Veſtræ lucubrationis gloriam obſcurare non fuit animus. Nam & omnībus Maurinæ eruditionis amplitudo veneranda patet; & ego ingenuè fateor illius proculdubiò magnæ perfectioni deberi quidquid boni meæ obſervationes contineant.

Statim ac diſpoſitas eas vobis dirigere, ſed prælo datas, quorumdam eruditorum conſilio permotus, opportunum duxi, ut, dum ad varias lectiones notæ complentur, eis ſtudioſi non careant.

Marginalibus librī, capitis, & numeri, ad quos in vita à vobis adornata pertinent, ſimulque perſonæ, vel argumenti notis eas diſtinxi, ut quæſitæ faciliùs oſtendantur.

Undè ad propoſitum deveniens: (*aa*) Sententia Johannis Diaconi ſuper cognatione Gregorium inter & Felicem IV. Papam, quam Cardinalis Baronius impugnat in Annal. Eccleſ. ad an. 581. hac præſertim ratione, quod Felicem IV. Samnitem fuiſſe conſtet, majoreſque Gregorii Magni Romanos, non ſatis firmatur illis verbis cap. 26. lib. III. Dialogorum videlicèt: *Nuper in Samnii Provincia quidam venerabilis vir Mennas nomine, ſolitariam vitam ducebat, qui noſtrorum multis cognitus*; quibus ipſum Gregorium aliquos è ſuis conſanguineis Samnites fuiſſe ſatis innuere vobis videtur: Nam S. Gregorius Marinianum Ravennæ Epiſcopum ob hujus de vomitu ſanguinis infirmitatem ad ſe vocans in epiſt. 33. lib. XI. ſic eum alloquitur: *Aut certè ſi vocandus es, inter tuorum manus voceris.* Et hæc à vobis, quamvis non tranſcripta, in num. IV. cap. V. lib. IV. non cognationi, ſed amicitiæ tribuuntur. Itaque niſi hæc intelligentia præcedenti parum conſona in prædicto num. IV. corrigatur, ad quod ſufficiens præbet fundamentum epiſtola 48. lib. V. ubi conſtat Marinianum civem non eſſe Ravennatem, ex quo etiam emendanda venit nota-a-epiſtolæ 56. ejuſdem V. librī, Cardinalis Baronii impugnationem verbo *noſtrorum* non convellitis.

(*aa*) *Lib. I. cap. I. num. III. De cognatione Gregorii cum Felice IV. Papa.*

Sed dato quòd *noſtrorum* cognationem denotet, ad Baronii opinīonem amplius infringendam affirmari etiam poterat, quod in partibus Piceni Samnio contiguis Gregorius cognatos habebat: ſiquidem in capite V. lib. I. Dialog. loquens de Conſtantino Manſionario Eccleſiæ Sancti Stephani juxta Anconitanam Civitatem ſitæ, hæc dixit; *Cui etiam quidam noſtri jam provec-*

tioris ætatis, qui ex eisdem sunt partibus, attestantur. Quibus, quia indicantibus ut non alienum à progenie ejus longævitatem pertingere, solvitur simul nodus, qui super gradu cognationis, atavi scilicèt, Felicis cum Gregorio primo aspectu occurrit.

(*bb*) Lib. I. cap. I. n. V. De Fratre Sanct. Gregorii.

(*bb*) Dicitis: *Gregorium fratrem habuisse nullus qui ejus Epistolas attentè legerit in dubium revocabit.* Meo tamen judicio, ut adeò certum non habeatur sufficit locus epistolæ 2. lib. XIV. quem ad hoc probandum inter alia citastis, & sic legitur: *De Monasterio S. Hermæ, quod... à fratre nostro constructum est*; quia attentè legens epistolas 48. lib I. 25. lib.XI. & prædictam 2. lib. XIV. Gregorium in hac de Januario Episcopo Caralitano locutum fuisse illicò agnoscet; perfectiùs verò, si lib. IV. octavam ex abundanti percurrerit.

Est & alia urgentissima dubitandi ratio desumpta ex inscriptione epistolę 25. lib.IX. & illo alio loco epistolæ 98. ejusdem, quem etiam adduxistis his in verbis: *Sed si tantum est, gloriosum fratrem nostrum, vel de Episcopis unum, aut certè Archidiaconum subscribere faciemus.* Reperitur enim in præcitata inscriptione quidam *Gloriosus* nomine Episcopus Ostiensis; conjunctio *vel* pro *ut*, & *veluti* accipi potest: ergo nil mirum si de hoc Episcopo Gregorius in 98. loquatur: præsertim cum in vulgatis, ut in nota a. ad istam asseritis, *Gloriosum* quasi nomen proprium scribatur.

(*cc*) Lib. I. cap. II. n. VI. De Institutione Monasterii Sanct. Andreæ ad Clivum Scauri.

(*cc*) Quamquam magnæ auctoritatis sit Gregorii Turonensis assertio circa institutionem sex Monasteriorum in Sicilia, & unius in Urbe, quod S. Andreæ ad Clivum Scauri appellabatur; tamen quod ea innixi dicitis in num. III. cap. sequentis, plurimas patitur instantias, propter quas illam minorem fidem facere ullus non negabit. Ideoque eas hic potius quam illic apponere judicavi, ut amplius stabiliatur dum solutio à vobis huic impugnationi detur.

Hæc sunt verba præcitati numeri: *Aliundè satis liquet cum dicit Valentionem in Valeria prius rexisse suum Monasterium per suum intellexisse Monasterium non ab Equitio, aut ab alio, sed ab ipso Valentione conditum*; *quo sensu suum semper dicit S. Andreæ Romanum asceterium.* Hæc impugnatio: Prætterquamquod S. Gregorius non semper illud *suum* dicit, sicuti ostendunt epist. 11. lib. VIII. & 44. lib. XI. *Candido Abbati S. Andreę ad Clivum Scauri*, & *Rusticianę Patriciæ* directæ, in quarum textu de eo loquitur Gregorius, & *nostri*, vel *mei* non legitur, quod dum *suum* illud appellat accipi non debeat eo in sensu, quo vultis, manifestè evincunt, quæ referam, verba epistolæ 6. lib.V. & 42. lib. VI. *ad Victorem Panormitanum Episcopum.* In illa sic loquitur Gregorius: *Ita tamen, ut Urbicus Monasterii mei Præpositus*; erat quidem Præpositus Monasterii S. Hermæ, quod putatur à S. Gregorio constructum, ut in nota a 42. lib. VI. dicitur. Sed in hac 42. Urbici jam Abbatis supplicationi de ordinando in eodem Monasterio Presbyterum annuit Gregorius dicens: *Quatenus nec ille* (Urbicus) *de Monasterio suo hac pro causa egredi...... cogatur*: signum igitur evidens est, quod dum *suum* illud Gregorius dixit, eo in sensu, quo vultis, non fuit locutus; nam si *suo* de Urbico idem significat quod *mei* de Gregorio dicto, quare à Gregorio, & non ab Urbico constructum intelligetur? Prætereà, si *suum* contructionem denotat ab illo factam, de quo dicitur, Monasterium Classense SS. Johannis, & Stephani à Claudio ejus Abbate constructum existimari deberet: quia S. Gregorius Mariniano eum commendans in epistola 16. lib.VIII. hæc dicit: *Quem etiam hìc adhuc volueramus diutius retinere, si & ipse non festinasset ad suum Monasterium.* At quàm improbabilis hæc intelligentia esset, numerus III. Præfationis vestrę in Regum Commentarios tom. III. cum pluribus aliis locis apertè indicat.

Est etiam in contrarium quod S. Gregorius in cap. 35. lib. IV. Dialog. dixit, scilicèt: *Sed neque hoc sileam quod dum adhuc laicus viverem, atque in domo mea, quæ mihi in hac Urbe ex jure patris obvenerat, manerem*, nam si in ea, ut Turonensis asserit, Monasterium construxisset, & in Monasterio Dialogos, ut vos num. XIX. Præfationis in eos ex veteri inscriptione dicitis, lucubrasset, hæc profectò ibidem non dixisset.

Idem

(*dd*) *Idem* (dicitis) *Eminentissimus Annalium Scriptor colligit ex lib. IV. Dialog.cap.21. S. Gregorium habuisse in vita Monastica institutorem Valentium, seu Valentionem Abbatem, cui successit Maximianus, Maximiano Pretiosus.... itaque ex Abbatum Cœnobii hujus catalogo expungit Hilarionem, quem Iohannes Diaconus primum Gregorii Patrem, Doctoremque in Monasticis institutis tradit..... Asserit autem Baronius Gregorium sub Maximiano Abbate non militasse, quod diu non sit permissus in Monasterio degere, contra manifestum Iohannis Diaconi testimonium, cui infra suffragabimur. Nec dissimulandum doctissimum Scriptorem ad hunc falli cum Pretiosum Abbatem fuisse S. Andreę asserit ex lib.IV. Dialog. cap. 55. ubi Pretiosus non Abbas, sed Præpositus dicitur. Neque etiam legimus cap. 21. ejusdem libri, Valentium fuisse in vita Monastica institutorem, cum de eo S. Doctor tantùm dicat: Valentius qui post in hac Romana Urbe, mihi, sicut nosti, meo quoque prefuit Monasterio.* Hucusque retuli, ut Baronianæ opinionis propugnatio, etsi non quoad *Pretiosum*, amplius elucescat.

(dd) *Lib.I. cap. II. n. VIII. De Valentione Abbate opinio Baronii propugnatur.*

Et in Catalogo Abbatum S. Andreæ Cyriacus prætermissus ostenditur.

Non semel veluti oscitanter dicta ab aliquibus habentur, quæ Auctores proferunt quin rationes adducant, ne in infinitum historiam protrahant. At necesse est, ut crisis injusta non evadat, ferè omnia, quæ ratam facere opinionem possunt, prius inquirere: Notandum igitur erat quod Hilarionis mentionem Gregorius nunquam fecit; quod in cap.4. lib.I. Dialogorum dixit: *Silere non debeo quod de hoc viro* (Equitio) *Abbate quondam meo Valentino* (seu Valentione, ut ibi in nota-d-dicitur) *narrante agnovi*; in cap. 22. lib.III. *In Valeria namque Provincia res est hęc gesta, quam narro, mihique beatæ memorię Abbatis mei Valentionis relatione cognita*; quod loquens de Valentione in cap. 21. lib. IV. ait: *Mihi, sicut nosti, meoque Monasterio pręfuit*. De Maximiano autem in cap.32. ejusdem libri solùm asseruit: *Qui diu in hac Urbe meo Monasterio præfuit*; quod in duobus locis primùm citatis de Valentione legitur *Abbate meo*, & *Abbatis mei*; in cap. autem 36. lib. III. de Maximiano tantùm: *tunc.... mei Monasterii Patrem. Tunc*, id est, quum Gregorius Apocrisiarius erat, quo ipsissimo modo loquitur de Cyriaco dum Catholicam Ecclesiam gubernabat, videlicèt in epistola 120. lib. IX; tandem quod etsi Johannes Diaconus Hilarionem, de quo nil Gregorius dixit, lib.I. c.VI. primum ejus patrem tradat, ac deinde Maximianum (fortasse occasione desumpta a cap. 7. lib.I. Dialog. ubi Gregorius ait: *De vicino nunc loco tibi aliquid narrabo, quod & viri venerabilis Maximiani Episcopi, & Laurionis, quem nosti, veterani Monachi, qui uterque nuncusque superest, relatione cognovi*: Nam, ut in nota-m-columnæ 24. tom. IV. dicitur, ubi Johannis Diaconi textus habet *Hilarionis*, Bollandus in duobus manuscriptis codicibus legit *Laurionis*, censetque legendum *Valentionis*) ipsum tamen pręterivit Valentius, de quo tanquam Abbate suo Gregorius bis, aut ter mentionem habuit: Notandum, inquam, totum hoc à vobis erat, & postea, an his omnibus Baronianam opinionem adeò clarè fulcientibus solum Johannis Diaconi testimonium, ob illorum codicum dissensum non parùm de errore suspectum, prævalere possit, vel non, dijudicandum.

Ibidem ad Abbatum S. Andreæ seriem ex supra transcriptis restituendam transitum fecistis, atque Petrum immediatè post Gregorium collocastis, ut demonstrant hęc verba: *Ipsemet Gregorius, qui ex sua legatione reversus Monasterium suum rexit, ut infra videbimus. Denique Petrus, quo sedente Sanctus Doctor suos scripsit Dialogos.* Ubi prætermissum noto Cyriacum, ne dicam etiam Marinianum, ut ex tempore, quo hic ad Episcopatum fuit promotus, atque ex dicendis in nota ad num. VI. cap.II. lib.3. colligi potest, quem ante Petrum (dato quòd Petrus Abbas fuisset) collocari debere ostendunt, & epistola 26. lib.IV. & 120. libri IX: in hac enim eum *Monasterii nostri Patrem* Gregorius vocat; in illa autem, quæ data fuit mense Junio anni 594. ut ex nota temporis 23.& 30. colligitur, Cyriacus appellatur Abbas, quem hac dignitate decoratum fuisse tunc, vel priusquam Gregorius suos scripsisset Dialogos quisque agnoscet, qui citatam 26. & numerum XVIII. vestræ Præfationis in illos attentè legerit. Dato, dixi, quòd Petrus Abbas fuisset: quia

de

de eo tantùm legitur quod in cap. 47. lib.IV. Dialog. Gregorius dixit, nempè: *Ad cujus sepulchrum dum Petrus, qui nunc Monasterio praeest.* Quæ quidem verba, licèt in præterito, ad Abbatialem Valentionis dignitatem probandam ex cap. 21. ejusdem libri à Baronio adducta, veluti officium Abbatis non significantia, ut paulò supra videtur, parvipendistis.

(ee) *Lib.I. cap.III. à num.III.ad VII. De Monastico S. Gregorii instituto Baronii sententia propugnatur.*

(*ee*) Cardinalis Baronii sententiam de Monastico S. Gregorii instituto, cujus Auctorem fuisse non S. Benedictum contendit, sed S. Equitium, in toto hoc capite III. tanta objectionum copia obruitis, quod penè impossibile est responsum omnibus præbere, & crisis brevitati consulere. Sed cum ex jam dictis in duabus præcedentibus notis (*cc*) & (*dd*) distinctis Baronianæ opinionis fundamentum non adeò, ut à vobis habetur, debile appareat, ne robur, quod ex illis accepit, intactis objectionibus vestris, rursus deperdat, præcipuas earum oppugnare selegi.

Itaque (dicitis in num. III.) *prolatis à Baronio testimoniis nequaquam probatur Valentionem fuisse S. Equitii discipulum, ejusque instituti sectatorem, imo contrarium ex collatis inter se duobus locis elicitur. Nam lib.I.Dialog. c. 4. Gregorius asserit Equitium post mortem discipulos suos tutatum esse contra Langobardos, atque à morte liberasse. At lib.IV. cap. 21. refert Langobardos è Monasterio Valentionis Abbatis duos Monachos in ramis arboris suspendisse, qui eodem die defuncti sunt.* Nunc sic: Gregorius lib. I. cap. IV. à vobis citato ait: *Qui nimirum Equitius pro suæ magnitudine sanctitatis multorum in eadem Provincia* (Valeria) *Monasteriorum pater extitit*; in lib. IV. cap. 21. *Valentio.... prius in Valeria Provincia suum Monasterium rexit.* Igitur à proximis Equitianis institutum sumpsit, si illud: quia *suum* Gregorius vocavit, in Valeria construxit, ea ipsa ratione, qua, quia Gregorius suum juxta Casinates construxit, ab his institutum accepisse vultis. Undè nil mirum quod aliud fuisset Monasterium Valentionis, & aliud ubi Equitius degit, utrumque tamen sub eadem regula; sicuti duodecim Monasteria à S. Benedicto constructa suos Abbates habebant, qui sub eadem regula militabant, ut textus cap. 4. lib.II. Dialog. demonstrat. Ait etiam Gregorius in dicto cap. 4. lib.I. *Eamdem Valeriæ Provinciam Langobardis intrantibus, ex Monasterio reverentissimi Viri Equitii in prædicto oratorio ad sepulchrum ejus Monachi fugerunt. Cumque Langobardi sævientes oratorium intrassent, cœperunt eosdem Monachos foras trahere..... quorum unus ingemuit, atque acri dolore commotus clamavit: Heu, heu sancte Equiti, placet tibi quod trahimur, & nos non defendis? Ad cujus vocem protinus sævientes Langobardos immundus spiritus invasit. Qui corruentes in terram tamdiù vexati sunt, quousque hoc cuncti, etiam qui foris erant, Langobardi cognoscerent, quatenus locum sacrum temerare ulterius non auderent. Sicque Vir sanctus dum discipulos defendit, etiam multis post remedium illuc fugientibus præstitit.* Ergo ex eo, quod lib. IV. cap.21. Gregorius refert, nimirum *Langobardos è Monasterio Valentionis Abbatis duos Monachos in ramis arboris suspendisse, qui eodem die defuncti sunt*; licet colligi possit quod hi Monachi ad sepulchrum Equitii non fugerunt, inferri tamen minimè valet quod Equitiani instituti sectatores non fuerunt. Fecit enim miraculum in gratiam non discipulorum, sed loci sacri, ut patet ex causali, & eo, quod multis illuc fugientibus remedium præstitit.

Nunc propriùs refutanda venit numeri VII. objectio, ubi ipsum opinionis Baronii fundamentum convellere creditis epistola Fundani Abbatis ad Simplicium, tertium à S. Benedicto Casinensis Monasterii Abbatem, cujus epistolæ summa est, *eo tempore omnia Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tusciæ, Liguriæ, & aliarum Italiæ Provinciarum Monasteria, dimissis peculiaribus regulis, Benedictinam servare decrevisse.* Nunc, inquam, propriùs: quia hæc & illa se invicem destruunt, ut sequens argumentatio ostendit: Si eo tempore, quo Valentio Monasterium, ut dicitis, ab eo constructum in Valeria regebat, omnia hujus Provinciæ Monasteria, dimissis peculiaribus regulis, Benedictinam servabant, eodem tempore Equitius discipulos suos tutatus esse non poterat: quia si, dimissa Equitiana regula, Monasterii S.Equitii Monachi sub Benedictina militabant, non jam Equitii, sed Benedicti dis-

discipuli erant. Si vero Equitii adhuc discipuli erant, non omnia Valeriæ Monasteria Benedictinam servabant. Judicent ergo nunc æqui lectores eosdem, quos ibi vos, arbitros constituo) utrum Casinatum proximitas, quæ Gregorium non induxit ad eligendum ex his pro suo Monasterio Abbatem, ejus animum ad ipsorum institutum accipiendum movere potuisset; vel an Valentio sui in Valeria Monasterii sub Equitiana regula Abbas ad Gregorianum Romæ sub Benedictina regendum venire voluisset.

Objectio autem sub num. IV. posita super Benedictinæ regulæ laudibus à Gregorio exhibitis, & Equitianæ silentio, solvitur collatis inter se verbis à Gregorio de Equitio dictis lib. I. cap. 4. Dialogorum, & ab ipso de regula S. Benedicti prolatis lib. II. cap. 36. in illo enim dixit: *Qui nimirum Equitius pro suę magnitudine sanctitatis multorum... Monasteriorum Pater extitit*; in hoc verò: *Hoc autem nolo te lateat, quod vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit doctrinæ quoque verbo non mediocritèr fulsit. Nam scripsit Monachorum regulam discretione præcipuam sermone luculentam.* Ex quibus rectè deduci potest, quòd de Equitiana sermonem non fecit: quia tunc notior, utpotè extensior, erat: Quod autem Benedictinam *discretione præcipuam sermone luculentam* vocet, eum sub Equitiana militasse non excludit: quia id dixit dum jam Pontifex esset. Neque repugnat, imo potius est experimento cognitum plerosque Magnates à seculo fugientes non regulam discretione præcipuam, & sermone luculentam, sed quam rigidam existimant, amplecti. Prætereà ex immediatè dictis etiam diluitur: quia sicut existimatio de Benedictina regula concepta Abbatem ex Casinatibus Gregorium pro suo Monasterio eligere non fecit, idem dè ipsorum regula discurrere nil impedit.

Quæ verò sub numero V. continetur de eo quod S. Benedicti Regula titulo *Regula Monachorum* designata apud Scriptores Ecclesiasticos reperitur; in quo titulo eî etiam à S. Gregorio dato ipsum *satis ostendisse* asseritis *eam ceteris, si quæ in Occidente jam receptæ forent, esse anteponendam*, penitùs evertitur etiam quo ad conditionalem: *Si quæ in Occidente jam receptæ forent*, duobus, quos adducam, locis S. Isidori Hispalensis, atque S. Ildephonsi Toletani. Ait enim ille *de Viris illustribus*, cap. 26. *Eugipius Abbas Lucullanensis opidi Neapoli Campanię.....scripsit regulam Monachis consistentibus in Monasterio S. Severini, quam eisdem moriens quasi testamentario jure reliquit. Claruit post Consulatum Importuni Iunioris Anastasio Imperatore regnante.* Ildephonsus verò in additione ad Isidorum *de Viris illustribus*, cap. 4. hæc dixit: *Donatus, & professione, & opere Monachus, cujusdam Eremitæ fertur in Africa extitisse discipulus. Hic violentias barbararum gentium imminere conspiciens.... & gregis Monachorum pericula pertimescens ferme cum septuaginta Monachis, copiosisque librorum codicibus navali vehiculo in Hispaniam commeavit.....Sirvitanum Monasterium visus est construxisse. Iste prior in Hispaniam Monasticæ observantię usum, & regulam dicitur adduxisse.* De hoc Servitano Monasterio mentionem fecit Isidorus cap. 45. dicens: *Eutropius Ecclesiæ Valentinę Episcopus dum adhuc in Monasterio Servitano degeret, & Pater esset Monachorum scripsit ad..... Lucinianum* (Cartaginis Spartariæ Episcopum) *valdè utilem Epistolam, in qua petit ab eodem quare baptizatis infantibus chrisma post hæc unctio tribuatur. Scripsit & ad Petrum Episcopum Ircavicensem de districtione Monachorum salubri sermone compositam Epistolam, & valdè Monachis necessariam.* Eugipius claruit initio seculi sexti; hoc penè medio Benedictus; Donatus verò mirabilium operator vocatur à Iohan. Biclar. ann. 572; Lucinianus scripsit ad S. Gregorium an. 592. ut denotat epistola 54. lib. II: De Eugipio, & Eutropio scripsit Isidorus initio seculi septimi, istoque jam medio de Donato Ildephonsus. Deducite nunc vos, quæ ex his omnibus in prædictam objectionem vestram deduci possunt.

Tandem, quam de Claudio Classensi Abbate desumptam in num. VI. adducitis, in observatione, seu nota super num. IX. cap. VI. lib. IV. satis convellitur. Undè in his amplius immorari non licet.

Pe-

(*ff*)
Lib. I. cap. V. n.V. De Epistola Pelagii II. ad Gregorium.

(*ff*) Pelagii II. Epiſtola ad S. Gregorium miſſa, & à Iohanne Diacono lib. I. cap. 32. exhibita, hìc ad tempora Tiberii Imperatoris refertur, & in num. XII. hujus cap.V. *data menſe Octobri Indictionis III.* ex ipſo Iohanne dicitur, *proindeque anno* 584. duobus ſcilicèt poſt Tiberii mortem.

(*gg*)
Lib. I. cap.V. n. VII. De Concertatione Gregorii cum Iohanne C.P. pro œcumenici titulo ab hoc uſurpato dubium diſſolvitur.

(*gg*) Ne vos amplius lateat Gregorium cum Iohanne Conſtantinopolitano pro *œcumenici* titulo, quem in Synodo uſurparat, in urbe Regia, Tiberio regnante, non decertaviſſe, hic vobis præ oculis ponere quædam verba epiſtolæ 43. lib. V. veſtrum quidem dubium removentia, neceſſarium duxi: citaſtis enim tantùm 68. lib.IX. in qua tempus Synodi Gregorius non indicavit; in illa autem Eulogium Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochenum ita alloquitur Gregorius: *ante hos ſiquidem annos octo, ſanctæ memoriæ deceſſoris mei Pelagii tempore, Frater, & Coepiſcopus noſter Iohannes in Conſtantinopolitana urbe ex cauſa alia occaſionem quærens Synodum fecit, in qua ſe univerſalem appellare conatus eſt. Quod mox idem deceſſor meus ut agnovit, directis litteris ex auctoritate S. Petri Apoſtoli ejuſdem Synodi acta caſſavit.* Hæc Pelagii Epiſtola, ut in nota-b-ad præcitatam 43. legitur, data fuit menſe Martio Indictionis V. id eſt anni 587. à quo menſe uſque ad Junium an. 595. quo fuit ſcripta 43. lib.V. ſeu Indictionis XIII. octo tribus cum menſibus numerantur anni: undè Gregorii relatio irrefragabilis apparet. Cumque obitum Tiberii quinque ante hanc Synodum annis, ideſt menſe Auguſto an. 582. contigiſſe aſſeratis in num. VIII; abſque hæſitatione jam dicere poteſtis S. Gregorium pro *œcumenici* titulo à Iohanne C. P. uſurpato, tempore Tiberii in urbe Regia non decertaviſſe.

(*hh*)
Lib.I. cap.V. n. XIII. De Brachio S. Andreæ, & Capite S.Lucæ.

(*hh*) Gregorium Romæ redeuntem Brachium S. Andreæ, & Caput S. Lucæ ab Imperatore impetraſſe, atque in ſuo Romano Monaſterio collocaſſe penitùs rejiciunt non illa, quæ citaſtis epiſtolæ 30. lib. IV. verba ſcilicèt: *Conſuetudinem non eſſe, ut quando Sanctorum reliquiæ dantur, quidquam de corpore tangere præſumatur*, quę prædictæ aſſertioni, ſeu narrationi ibì dixiſtis contraria non eſſe: *Nam loquitur de Romanorum, & Latinorum non verò Græcorum more, & conſuetudine*; non, inquam, illa; ſed ipſiuſmet Epiſtolæ ſequentia: *In Romanis namque vel totius Occidentis partibus omninò intolerabile eſt, atque ſacrilegum, ſi Sanctorum corpora tangere quiſquam fortaſſe voluerit. Quod ſi preſumpſerit, certum eſt, quia hęc temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro qua re de Græcorum conſuetudine, qui oſſa levare Sanctorum ſe aſſerunt, vehementèr miramur, & vix credimus. Nam quidam Monachi Gręci huc ante biennium venientes nocturno ſilentio juxta Eccleſiam Sancti Pauli corpora mortuorum in campo jacentia effodiebant, atque eorum oſſa recondebant, ſervantes ſibi, dum recederent. Qui cum tenti, & cur hoc facerent diligentèr fuiſſent diſcuſſi, confeſſi ſunt quod illa oſſa ad Græciam eſſent tamquam Sanctorum reliquias portaturi. Ex quorum exemplo, ſicut prædictum eſt, major nobis dubietas nata eſt, utrum verum ſit quod levare veracitèr oſſa Sanctorum dicuntur.* Certè ſi ab Imperatore præfatas reliquias Gregorius impetraſſet, hæc illius conjugi, ſive Auguſtæ minimè reſpondiſſet, aut verbo *aſſerunt*; quippè eas levare vidiſſet, in hac reſcriptione indebitè uſus fuiſſet. Meo quidem judicio poſt illarum aſportationem à Gregorio factam ipſum ſupraſcripta proferre nil aliud eſſet quàm ſe à Græcis, imò ab Imperatore deceptum dicere.

(*ii*)
Lib. I. cap. VII. n. I. De Anachroniſmo à Gregorio Turonenſi commiſſo, loquendo de coronamento Mauricii, & ordinatione S. Gregorii.

(*ii*) Non ſolvitur Anachroniſmus, qui ex Gregorii Turonenſis verbis columna 187. tom. IV. relatis, & num.VIII. cap. V. hujus lib. dictis apertè reſultat, diſtinctione in hoc num. I. à vobis data, videlicèt *de anno non incboato, ſed completo.* Nam ex Gregorio Turonenſi in præcitato num. VIII. coronamentum Mauricii factum aſſeritis anno octavo Childeberti Regis, hoc eſt menſe Auguſto an.582. In columna autem 187. hæc ex eodem Turonenſi leguntur: *Anno quinto decimo Childeberti Regis Diaconus noſter ab urbe Roma cum Sanctorum pignoribus veniens, ſic retulit quod anno ſuperiore, menſe nono, tanta inundatione Tiberis fluvius urbem Romam ob-*

obtexit, ut ędes antiquæ diruerentur.... subsecuta est.... clades, quam inguinariam vocant. Nam medio mense undecimo adveniens, primum omnium..... Pelagium Papam perculit, & sine mora extinxit. Quo defuncto....Gregorium Diaconum plebs omnis elegit. Et concludit: *Sed nec destitit Diaconus noster nisi ad Episcopatum ejus de porto rediret, & qualiter ordinatus fuerit, præsenti contemplatione susciperet.* Ex quibus hoc formo ratiocinium: Gregorii ordinationem mense Septembri an. 590. factam fuisse manifestum est: Si igitur Mauricius anno octavo Childeberti Regis imperare cœpit: quia coronatus fuit mense Augusto anni 582, nec Inundatio Tiberis accidere potuit mense nono, aut mors Pelagii undecimo anni decimi quarti Childeberti, nec Gregorii consecratio fieri anno decimo quinto ejusdem, licet Turonensis relatio de morte Pelagii intelligatur de anno decimo quarto Childeberti penè completo, ut in hoc numero vultis; *quia Turonensis*, ut dicitur in nota-a-*non inchoat annum à Ianuario, sed à Martio.* Nam si mensis Januarius secundum nostram chronologiam primus anni 590, erat secundum Turonensem undecimus mensis anni decimi quarti Childeberti, tunc Januarius in nostra mensis primus anni 583, debebat esse in Turonensi undecimus mensis anni septimi ejusdem Regis: quod quidem stare non potest cum ejus assertione de coronamento Mauricii. En clariùs ostensum ex demonstratione arithmetica ad marginem apposita: Vel annus octavus Childeberti incœpit mense Augusto 582, vel finivit, quidquid dicatis, id ipsum de anno decimo sexto in mense Augusto anni 590. asserere debetis. Si initium habuisse dicitis: Sequitur quod Gregorii Turonensis Diaconus venit ad Gallias anno decimo sexto, non *quinto decimo* ut Turonensis dixit: quia vidit qualitèr ordinatus fuerit Pontifex mense Septembri an: 590. Si verò finem asseratis, tunc deducitur quod Turonensis Diaconus venit anno decimo septimo Childeberti: undè vestra *de anno completo* intelligentia nullo modo Turonensem ab anachronismo liberat.

Augustus	Childeberti
anni-582	---8. annus.
583	---9.
584	---10.
585	---11.
586	---12.
587	---13.
588	---14.
589	---15.
590	---16.

(*jj*) Columnæ fulgidæ indicio, quo delitescentem Gregorium ex Paulo Diacono asseritis detectum fuisse, atque verbis ep. 21. lib. I. & 4. lib. VII. probare intenditis, illius videlicèt: *Sed quia divinis judiciis non poteram resultare*, hujus verò: *Sed superna mihi judicia adversari conspiciens*; contraria sunt, quæ Leandro Hispalensi ipse S. Doctor lib. I. ep.43. scripsit: scilicèt, *navem, quam regendam OCCULTA Dei dispensatione* (vel *dispositione*, ut Albornotianus codex habet) *suscepi.*

(*jj*) *Lib. I. cap. VII. n. VII. De Indicio columnæ fulgidæ.*

(*KK*) Neque hìc, neque in I. num. Appendicis, neque in cap.2. lib. II. vitæ à Iohanne Diacono, notastis quod symbolum à codicibus Registri Epistolarum exhibitum caret his verbis: *in carnis resurrectione*, quę leguntur in citato loco Iohan. Diac. & in codice Albornotiano post ista: *innovaturus seculum per ignem.*

(*KK*) *Lib. II. cap. I. n. I. De verbis*: In carnis resurrectione.

(*ll*) Hujus numeri verba referam, quibus inscriptionem Epistolæ Synodicæ ad Patriarchas non à S. Gregorio, sed à Collectoribus Epistolarum factam cum Cardinali Baronio judicastis, ut hujus opinionis impugnatio meliùs percipiatur. Sic dicitis: *In hujus Epistolæ Synodicæ ad Patriarchas inscriptione primum omnium occurrit Iohannis Constantinopolitani nomen, quod à Gregorianarum Epistolarum Collectoribus factum, non ab ipso Gregorio jure censet Baronius. Singulis enim Patriarchis singula misit illius Epistolæ exemplaria, in quibus solum nomen Patriarchæ ad quem unumquodque mittebatur, erat inscriptum. Neque enim exemplum, quod ad Iohannem delatum est, aliud quam Iohannis ipsius nomen præferebat. Hinc legitur FRATER CARISSIME, non FRATRES CARISSIMI. Nostram sententiam confirmat quod subjunctum fuerit A PARIBUS post Patriarcharum nomina, ut in notis observavimus.* Notæ vero, de quibus hìc, me non latent; sunt enim-e-et-u-epistolæ 25.lib.I. At earum doctrina cum sententia hic prolata penitùs corruit legendo epistolam 106. lib. IX. cujus inscriptio est: *Gregorius Siagrio Augustodunensi, Etherio Lugdunensi, Virgilio Arelatensi, & Desiderio Viennensi Episcopis Galliarum a paribus.* Et tamen in ea *Fratres carissimi* tèr offenditur. 110. ejusdem libri *Theodorico,*

(*ll*) *Lib. II. cap. I. n. III. De inscriptione Epistolæ Synodicæ.*

co, & Theodeberto Regibus Francorum directam, in qua codex Albornotianus habet *à paribus* sicut citati à vobis in nota-a-ad eam, & similiter bis in ea *præcellentissimi Filii* reperitur. In hac etiam Synodica ad Patriarchas Albornotianus codex habet *Fratres sanctissimi*, atque subsequentes lectiones, ut in notis ad eam dicam, concordantes. 58. lib. VI. *Theoderico, & Theodeberto Fratribus Regibus Francorum à paribus*, in cujus textu hæc leguntur: *Magnam de vobis materiam præsumendi concepimus, quod subjectos vestros ad eam converti fidem per omnia cupiatis, in qua eorum nempè Reges estis, & domini.*

Sunt, & aliæ Epistolæ ad duos, vel plures Episcopos directæ, in quarum inscriptionibus licet *à paribus* subjunctum non videatur, in textu tamen vel *Fratres carissimi*, vel quædam locutiones, quæ inscriptioni unius tantùm nominis adaptari non possunt, reperiantur; ut 8. lib. VI. in qua *Fratres carissimi, & quisque vestrum,* legitur; 43. & 51. lib.V. ubi *Fratres carissimi* ter reperitur; 8. & 68. lib.IX. in quibus *quidam vestrum, & nullus vestrum* passim offenditur. Tunc igitur mos erat, vel omnibus unum, vel unicuique suum Epistolæ exemplar mittere, sed cum inscriptione nomina continente omnium, ad quos simile etiam dirigebatur. Confirmant hoc plures ex Epistolis ad universos alicujus Provinciæ Episcopos scriptis, ut sunt 45.& 77. lib.I.54. & 58 lib.V: quia harum idem ac illarum, in quibus nomina exprimuntur, character est, inscriptionesque earum fuisse à Collectoribus factas non dicetis.

Ibidem De Epistola Anastasii Antiocheni.

Illa verba; *Iamque ad ejusdem* (Anastasii Antiocheni) *litteras de suscepto Summo Pontificatu gratulatorias responderat* dissentire videntur ab eis, quæ in nota-a-epistolæ 26. lib I. leguntur, nempè: *Iisdem fere verbis concepta est septima hujusce libri Epistola, quam ad Anastasium non fuisse missam ibi annotavimus.* Si igitur septima non fuit missa, quomodo *Iam*, hoc est, antequam Synodicam transmisisset *ad gratulatorias Anastasii responderat*, si Synodica est 25. & responsio ad gratulatorias 26? Si in hac illius mentionem fecit dicens: *Præ eà sicuti Patriarchis aliis paribus vestris, Synodicam vobis Epistolam direxi?*

(mm) *Lib. II. cap.I. n. VI. De Ariana hæresi ab Hispania profligata.*

(*mm*) Ex malis Ecclesiæ, quæ ut causæ cur Gregorius à Pontificatu tantum abhorreret ex epistola 43. lib.I. deducuntur, illud, quod de Hispania memoratur his ejusdem Epistolæ verbis: *Explere autem loquendo nullatenus valeo gaudium meum, quod communem filium Recharedum gloriosissimum Regem ad Catholicam Fidem integerrima agnovi devotione conversum,* omninò rejicitur. Numero autem sequenti, sive VII. dicitis: *Gothos Ecclesiæ reconciliavit.* Et conversio totius Gothorum gentis ab Arianæ hæreseos pravitate quatuor, vel quinque annis Gregorii ordinationem antecessit; ut videri potest in lib. III. Dialog. cap.31. in Isidori Hispalensis *Historia Gothorum*, & in Baronio tom. 8. pag. 614. & 647. ad an. 585. undè nisi conversio ad Catholicam Fidem Ecclesiæ reconciliatio non dicatur, propositio illa veritati parùm consentanea videtur.

(nn) *Lib. II. cap.I. n. X. De morte Anastasii Antiocheni.*

(*nn*) Ex titulo homiliæ XIX. tom I. columna 1510. & num. 7. ipsius apertè colligitur S. Gregorium inchoasse annum à mense Martio: quia in illo dicitur: *Habita Dominica in Septuagesima*, & in hoc Gregorius ait: *Præsenti anno*, refertque successum in mense Iulio nuper elapso, ut ad eundem annum attinens; in mense Aprili anni 599. respondet ad Synodicam Anastasii Iunioris: igitur accidit alterius Anastasii mors anno 598. quia in uno mense, imò nec in tribus (ne fortasse vos annum à Ianuario inchoare dicatis) Anastasii Iunioris electio, atque ordinatio fieri poterant, nec Synodica ad Romam pervenire. Plus fallitur Moreri, qui Seniorem vita functum asserit die 21. Aprilis 599. nisi epistola 49. lib.IX. benè constituta non sit.

(oo) *Lib.II. cap. I. n. XI. De Epistola Synodica Amòs Ierosolimitani.*

(*oo*) De annis Episcopatus Patriarchæ Ierosolimitani Amòs sermonem facitis. At minimè notastis quod responsio ad ejus Synodicam, quam Gregorio proculdubio daret, inter Epistolas non reperitur. *Proculdubio* dixi: quia mos erat, sicut ait Gregorius lib. IX. epist. 52. ut quoties in quatuor

præ-

præcipuis sedibus Antistites ordinabantur Synodales Epistolas Papæ mitterent, quod quidem fecit Isachius successor ejus. Similitèr consuetudo erat, sicut S. Doctor dixit lib.VI. ep. *66.* ut priusquam ordinati Synodica ad Papam delata fuisset, ad eum scribere Pontifex non deberet; & epistolam *6.* lib.VIII. Amòs Episcopo Ierosolymitano missam video.

(*pp*) Licèt S. Gregorius Synodicam Cyriaci sine mora susciperet, ne Ecclesiæ unitatem turbaret, impunitam tamen non reliquit ejus elationem in œcumenici titulo sibi vendicando. Nam ut legitur in epist. 33. & 34. lib. VII. suo Diacono præcepit, ut cum Cyriaco missarum solemnia non celebraret; quo ipsissimo modo Pelagius II. & ipse Gregorius animadverterunt in Iohannem Cyriaci prædecessorem. Sed de hoc fusius in nota ad numerum XV. cap.I. lib.III.

(*pp*) *Lib.II.cap.II. n. VII. De Cyriaci Constantinopolitani animadversione prætermissa.*

(*qq*) Quæ ex Iohanne Diacono de Monachis à S.Gregorio in famulicium receptis asseruntur, in nota ad n.V.cap.VI. lib.III. à me impugnantur.

(*qq*) *Lib.II.cap.III.n. IV. De Monachis in famulicium á Gregorio receptis.*

(*rr*) Epistolæ 34. lib. I. inscriptio in codice Albornotiano ita legitur: *Gregorius Venantio Canc. Italico.* Undè non ita gratis, sicut hìc, & in nota-a-prædictæ Epistolæ asseritis, Cancellarii Italiæ titulum Editores Venantio contulerunt. Isti quidem Epistolam sic inscribere non poterant, nisi alicujus codicis manu exarati inscriptione ducti: igitur restituere debetis Gussanvillæi notam ad vocem *Cancellario*, quam resecandam duxistis in nota-a-citata, utpotè jam aliquorum codicum manu exaratorum auctoritate fulcitam.

(*rr*) *Lib.II.cap.V. n. VII. De Venantii titulis, scilicèt: Cancellario Italiæ, atque Exmonacho Patricio.*

Alii verò tituli *Exmonacho Patricio* in duabus aliis, quas Albornotianus continet, non reperiuntur: sunt hæ 123. lib. IX. & 30. lib. XI. Inscriptio illius ita se habet: *Gregorius Italicæ Patriciæ, & Domno Venantio*; hujus verò: *Gregorius Venantio Episcopo*, illam exhibent Vat. omnes; colbert. & Rem. ut in nota-a-ad 123. asseritis, istam autem excussi, ut in nota-a-ad 30. lib.XI. legitur: deducitur ergo quod in his tribus inscriptionibus Mss. codices dissentiunt. Cumque major horum numerus plus auctoritatis non præstet, rationes congruentiæ pensandæ erunt, ut unius præ alio inscriptionem sequamur. Sunt verò in favorem Alborn. codicis sequentes scilicèt: quod *Exmonachi* titulus ignominiosus est: undè potius auctores illius credere debemus Epistolarum Collectores, imò transcriptores aliquos, fortasse ad eum distinguendum à Venantio Patricio Panormitano, quàm prudentissimum Pastorem Venantii reditum ad habitum suum tantoperè optantem; cum ad illud sufficiens præbeat fundamentum Epistolarum textus. Quoad alium *Patrici* titulum hanc, & quidem efficacissimam invenio rationem, ut Venantio tribui non debeat: S. Gregorius in omnibus Epistolis ad alicujus territorii Patricios directis eos titulo *Gloriæ*, vel *Excellentiæ* in textu compellat, sicuti ostendunt epistolæ 33. & 52. lib. III. 57. lib. VII. 119. lib. IX. 40. lib. XII. & 15. lib. XIII; in nulla ex eis, quæ tantùm ad Venantium missæ fuerunt, eo utitur: igitur sicut ex titulo *Gloria*, qui in 15. lib. XIV. legitur rectè conjicitis eam Anthemio Subdiacono inscribi non debere, mihi similitèr ex profundo prædicti tituli silentio augurari licebit Venantium non fuisse Patricii Dignitate decoratum. Si verò sexta lib. I. Epistola Narsæ data mihi objiciatur: quia in ea prædictus *Gloriæ* titulus non legitur, & tamen *Narsæ Patricio* inscribitur, eamdem de illa sententiam teneo Albornotiani codicis inscriptione innixus, in quo, sicut de omnibus vestris nota-b-prædictæ Ep. asseritis, *Narsę* simplicitèr exarata offenditur.

Hunc Venantium ex Monachis Siculis uxoratis fuisse dicitis; sed oppositum conjicio ex eo, quod à personarum consideratione justissimus Pastor omninò abhorrebat: siquidem etiam cum suprema Augusti Dignitate circa minora delicta contendere non formidabat. Videatur ep. 20. & 24. lib. V. Undè cum in ep. 42. lib.I. Anthemio Subdiacono scripserit: *Et quia aliquos Monachorum usque ad tantum nefas prosiliisse cognovimus, ut uxores publicè sortiantur, sub omni eos vigilantia requiras, & inventos digna coercitione in Monasteriis, quorum Monachi fuerunt, retransmittas.* Et usque

Ibidem.

ad

ad Venantii obitum ei consilium de reditu ad habitum, in quo fuit, tantùm dederit, rationem quæsivi, ut hæc conciliarem, & , ni fallor, in ipso S. Doctore eam inveni. Ait enim homilia 38. in Evangelia: *Tres pater meus sorores habuit, quę cunctæ tres Sacræ Virgines fuerunt: quarum una Tharsilla, alia Gordiana, alia Æmiliana dicebatur. Uno omnes ardore conversę, uno eodemque tempore sacratę, sub districtione regulari degentes, in domo propria socialem vitam ducebant. Cumque essent diutius in eadem conversatione, cœperunt quotidianis incrementis in amorem conditoris sui Tharsilla, & Æmiliana succrescere....At contra Gordianæ animus cœpit à calore amoris intimi per quotidiana detrimenta tepescere, & paulispèr ad hujus seculi amorem redire. Crebro autem Tharsilla dicere Æmilianæ sorori suæ cum magno gemitu solebat: Video Gordianam sororem nostram de nostra sorte non esse: perpendo enim quia foras defluit, & cor ad quod proposuit non custodit. Quam curabant blanda quotidiè redargutione corripere, atque à levitate morum ad gravitatem sui HABITUS reformare.* Et infrà post quam Tharsillæ, & Æmilianæ obitum retulit, dicit: *Gordiana autem mox ut solam remansisse se reperit, ejus pravitas excrevit, & quod prius latuit in desiderio cogitationis, hoc post affectu pravæ actionis exercuit. Nam oblita Dominici timoris, oblita pudoris, & reverentiæ, oblita consecrationis, conductorem agrorum suorum postmodùm maritum duxit.* Et tamdem in fine: *Ecce, fratres mei, Gordiana, quam superiùs dixi, à SANCTIMONIALIS HABITUS excellentia corruit ad pœnam.* Poterat quidem Venantius hoc ipsissimum fecisse, & tunc nil mirum si eum, ut ad habitum, in quo prius fuit, rediret, Gregorius tantùm consiliaret; alios verò, quia post votum in Monasterio solemnitèr emissum uxores sortiti fuerant, ab eis avulsos in Monasteriis suis retransmitti præciperet.

Ab hoc argumento me expedire non possum, quin etiam dicam: quod Albornotianus codex optimæ quidem notæ, peritorumque judicio ætatis plus quàm 700. annorum, in textu 34. ep. lib. I. *Venantio Canc. Italico* inscriptę, ubi vestra editio habet: *Si ergo ille mortis periculo dignus fuit qui eos, quos dederat, nummos Deo abstulit; considera quanto periculo in divino judicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo omnipotenti, cui te sub Monachico habitu devoveras, subtraxisti. (considera judicium Dei, quod mereatur, qui semetipsum Deo vovit, continuoque mundi desideriis irretitus, mentitus est quod vovit) Quapropter si correptionis meæ* solùm dicit: *Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos, quos dederat, nummos Deo abstulit, Considera judicium Dei, quid mereatur qui semetipsum Deo vovit, continuoque mundi desideriis irretitus, mentitus est quod vovit. Si mihi credideris, si correptionis meæ.* Quæ nempè, ut Parenthesis, interjecta, & à Mss. abesse, & pro glossemate, quod è margine in textum irrepsit, habenda esse ibi nota-c-asseritis.

Nec officit quod in eadem Epistola paulò supra dixerit Gregorius: *In quo enim habitu fueris recolis.* Siquidem *Monachico* non adjunxit. Et licet velitis subintelligi; adhuc remanet soluta objectio, quæ, ut in nota-a- prædictæ 34. ep. dixistis, S. Bernardo, (cujus ævo disputatum fuit an validum esset Monachi matrimonium) à nonnullis ex hoc Gregorii loco facta fuit; cui ob summam erga S. Gregorium reverentiam Mellifluum vix respondisse asseritis. Nam illa Monachorum, qui uxores sortiti fuerant, ab eis avulsio, atque suis in Monasteriis digna coercitione præcepta retransmissio non minus matrimonii istorum nullitatem indicant, quàm amitæ suæ Gordianæ factorum relatio, atque Venantii reprehensum, sed impunitum conjugium hunc propriè Monachum non fuisse, vel ita Monachum à Gregorio appellari, sicut Sanctimonialem Gordianam, quæ tantùm in domo propria, atque agrorum domina suorum, etsi sub regulari districtione, Deo consecrata primùm degit. Certè Gordiana, quam Sanctimonialem Gregorius vocat, in ipsa Urbe, ac proindè coram Summo Pontifice maritum duxit, neque de ipsius separatione à marito quidquam Gregorius dixit, cum omnes Gordianæ successus latè descripserit: illis verbis cor-

corruit ad pœnam ipsius damnationem satis indicavit: Hanc Venantio, ut ad habitum rediret, minabatur, nec eum cogebat: igitur ex Monachis Siculis uxoratis Venantius non erat. Sic longum facere me coegerunt tot quot nota-a-et-e-prædictæ Epistolæ elegantèr attigistis.

(*ss*) Lib.II.cap.X.n. VII. De loco quo scripti fuerunt Dialogi; atque de congrediente in eis cum S. Doctore.

(*ss*) Circa locum, quo S. Gregorius suos condidit Dialogos, tantùm dicam: quod, ut S. Doctorem ad eos lucubrandos in S. Andreæ Monasterium secessisse non credatur, plus convincit pronominis demonstrativi silentium, quàm ad oppositum judicandum vetus inscriptio publici juris à Mabillonio facta tom.4. Analect. pag.497. de qua in XIX. Præfationis numero locuti estis. Hæc mea assertio infringi non potest, quin ratio, qua in prædicto numero probatis Gregorium tunc Romæ fuisse, simul corruat: ibi enim ex demonstrativi usu in Romanorum successuum relatione eum tunc Romæ fuisse rectè infertis: igitur ex opposito dum de Monasterio loquitur æquè benè oppositum conjicitur. Suffragaturque mihi ipse loquendi modus, quem in Homiliis persequitur: Has enim in Monasterio lectas, vel fuisse expositas minimè dicetis: Siquidem in Epistola ad Secundinum præcedente illas hæc dixit Gregorius: *Inter Sacra Missarum solemnia, ex his, quæ diebus certis in hac Ecclesia legi ex more solent, Sancti Evangelii quadraginta lectiones exposui.* Et quod in eis de suo Monasterio retulit, iisdem, quoad nostrum intentum, verbis in Dialogis repetitum legitur. Nam lib. IV. Dialog. cap.38. ita dicit: *Nam is, de quo in Homiliis coram populo me narrasse jam memini, inquietus valdè, Theodorus nomine, puer fuit, qui in Monasterium meum, fratrem suum necessitate magis quam voluntate secutus est.* Et paulò infrà: *In hac autem pestilentia, quæ nuper hujus urbis populum magna ex parte consumsit.* In homilia 38. in Evangelia hoc ipsum retulit in n. 16. Si igitur Dialogos in Monasterio lucubrasset procul dubio dixisset *in hoc Monasterium meum*, sicuti de Roma loquens cap. 36. ejusdem libri IV. dixit: *Quidam vero miles in hac eadem urbe nostra percussus*; atque in loco immediatè supra citato: *hujus urbis populum.* At ut alia omittam sufficiat dicere: quod nunquam *Monasterio*, semperque *Romæ* demonstrativum adjunxit.

Ut autem jam intra conjecturæ terminos non permaneat Petrum Subdiaconum, Siciliæ Rectorem, lucubrationis Dialogorum tempore Diaconum fuisse, ac per consequens in num.XV. Præfationis in eos sine hæsitatione dicatis: eum esse qui illic cum S. Doctore congreditur, initium 34. ep. lib.V. Cypriano Diacono datæ hìc apponere judicavi. Sic legitur: *Benenatus, Frater, & Coepiscopus noster, Ciceronem quemdam Monachum, qui pro suis excessibus à dilectissimo filio nostro Diacono Petro, tunc autem Subdiacono, & Rectore patrimonii nostri est in pœnitentia deputatus.* Hìc Petrus fuit Rector patrimonii Siciliæ duobus primis Gregoriani Pontificatus annis; tertio autem Campaniæ; in sequentibus nulla ad eum missa Epistola reperitur: Cyprianus Diaconus in his erat Rector Siciliæ, & Anthemius Subdiaconus Campaniæ: Dialogi quarto Pontificatus anno lucubrati probabilius censentur: in Epistola citata libri V. de illo jam Diacono ut existente mentionem fecit; siquidem *quondam*, ut de vita functis loquens solet, non adjunxit: initio igitur anni quarti ad Diaconatum promotus, atque cum S. Doctore in Dialogis, ut in horum exordio ipse dixit, fuit congressus.

(*tt*) Lib.II.cap.XII. num. XI. De Decreto S. Gregorii circa Clericos dignitates Monasticas ambientes.

(*tt*) Quæ hìc in Clericos Monasticis tunc inhiantes dignitatibus nonnullis S.Gregorii Epistolis innixi dicitis, paritèr in Monachos illius temporis ad Ecclesiastica officia pervenientes in num. XV. capitis XII. lib 3. aliis ejusdem S. Doctoris Epistolis ibi citatis ducti proferre debebatis, ne hæc in odium Clericorum hìc dicta, illic autem in gratiam Monachorum omissa forrasse ab aliquo habeantur: Non immerito vos ita alloquor: Ait enim S. Doctor in epistola 11. lib IV. Maximiano Syracusano Episcopo directa: *Presbyteros, Diaconos, ceterosque cujuslibet ordinis Clericos, qui Ecclesiis militant, Abbates per Monasteria esse non permittas, sed aut omissa Clericatus militia, Monachicis provehantur ordinibus: aut si in Abbatis loco per-*

permanere decreverint, Clericatus nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est, si cum unum ex his pro sui magnitudine diligentèr quis non possit explere, ad utrumque judicetur idoneus: Sicque invicem, & Ecclesiasticus ordo vitæ Monachicæ, & Ecclesiasticis utilitatibus regula Monachatus impediat. Ex quibus, postquam opinionem aliquorum rectè intelligentium per hæc paritèr repulsos ab Ecclesiasticis officiis, seu Clericali militia Monachos, & Abbates convellere vultis epistola 42. lib. VI. in qua Victorem Panormitanum Episcopum Gregorius hortatur, ut unum è Monachis S. Hermæ Presbyterum ordinet, concluditis: *Scopus ergo vigilantissimi Pastoris eo loci est, repellere a Monasticis prælaturis Clericos, ut nunc audiunt, seculares, aliarum jam Ecclesiarum titulis addictos, pro illorum temporum more; tum quod Clericalis, & Monastica militia in diversis Ecclesiis ita sociari non possint, tum potissimum quod per Clericorum illorum, qui Monasticis inhiabant dignitatibus, ambitionem, & remissionem vitam (ne quid pejus dicamus) Monasteria destruenda, quod etiam postea contigit, prævideret.* Et certè Gregorius in epistola 42. lib. VI. loquitur de Monacho Presbytero ordinando, ut suo tantum Monasterio in celebrando sacrum inserviat; in 11. verò lib. IV. de Presbyteratu alicui Ecclesiæ addicto. Cumque de hoc, & non de illo procedat quæstio, nescio quare ex verbis supra relatis ob 42. epistolam sic concluditis.

Ait etiam S. Doctor lib. V. ep. I. *Nemo etenim potest & Ecclesiasticis obsequiis deservire, & in Monachica regula ordinate persistere: ut ipse Monasterio districtionem teneat, qui quotidie in ministerio Ecclesiastico cogitur permanere.* Et in num. V. cap. II. lib. III. dicitis: *Nonnulli hac usi sunt Epistola; ut probarent Monasticę vitę statum à Clericatu prorsus esse alienum. Verum quantum id à mente S. Doctoris abhorreat, ipse manifestè ostendit cum ad sacros ordines, imò ad Episcopatum Monachos quamplurimos... assumsit.* Et paulò infrà: *Mens igitur S. Doctoris fuit quantum ex laudata libri quinti prima Epist. & ex aliis assequi possumus, Monasteriorum prefecturam minimè Clericis esse commendandam; quia cum disciplinæ laxiori serviant, nec severioribus Monachorum moribus sint innutriti, de regulæ Monasticæ observantia minus solliciti sunt. Pręterea quandoquidem, aut ambitus, aut avaritia, aut pravus quispiam alius affectus iis Clericis, quos Gregorius insectatur, viam ad Abbatialem dignitatem munierat, secularium vivendi modum sectabantur, in epulis, in suppellectili, in vestibus quibus sibi procurandis ut pares esse possent, Monasteria expilabant.* In quibus meo judicio nil aliud facitis ac si eo quod ex peccatoribus Deus justos facit convellere velitis argumentationem hanc: Nemo potest in statu peccati, & gratiæ simul permanere: igitur status peccati à statu gratię prorsus est alienus: quod quidem, omissionem prius notatam ostendendo, demonstro.

In numero XV. cap. XII. lib. 3. ubi de epistola 15. lib. VIII. sermonem facitis hæc tantum dicitis: *Etsi hoc præsertim anno S. Gregorius quantum sibi curæ essent res Monasticæ plurimis Epistolis palàm fecerit, pauca tamen ex his delibabimus. Insigne præ ceteris est privilegium concessum Monasterio Sanctorum Iohannis, & Stephani in urbe Classitana constituto, de quo scripsit ad Marinianum Ravennatem Episcopum. Quid hoc privilegio cautum esset in gratiam Monachorum, inde repetendum.* Et in eadem privilegii Epistola Gregorius ait: *Quisquis autem ex prædicto Monasterio ad Ecclesiasticum ordinem pervenerit, ulterius illic nec aliquam potestatem, nec licentiam habeat habitandi.* Dixerat etiam in ep. 43. lib. VII: *Sed ne vel per cujuslibet Monachi, aut Abbatis promotionem aliquod onus Monasteria fortasse sustineant, studendum vobis est, ut si quispiam Abbatum, aut Monachorum ex quocumque Monasterio ad Clericatus officium, vel ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam habeat ulterius, ut diximus, potestatem, ne Monasteria hujus occasionis velamine, quæ prohibemus, sustinere onera compellantur.* Dixitque posteà in 8. lib. XIII. *juxta desiderium Conditorum* (Galliæ Regum) *decernimus ut nullus eorum, qui eidem Xenodochio, atque Monasterio Abbas, aut Presbyter in posterum fuerit ordinatus ad Episcopatus officium*

cium quacumque obreptione sit ausus accedere, nisi prius Abbatis officio sit privatus. Paritèr ergo Monachos repulit ab officio Ecclesiastico, seu Clericali militia, ac à Monasticis prælaturis Clericos: id est, nec Monachus manens Monachus alicui Ecclesiæ servire, nec Clericus manens Clericus alicui præesse Monasterio poterat.

(*uu*) Iohannis Constantinopolitani obitum hìc, & in numero primo sequentis cap. X. mense Ianuario anni 595. contigisse asseritis; consequenterque Gregorium non nisi post viginti ferè menses Synodicam Cyriaci illius successoris excepisse: quia ab epistola 18. lib. V. Kalendis Ianuarii data, paulò post quam Iohannis mortem evenisse dicitis, ad 4. lib. VII. quæ est ad Synodicam Cyriaci rescriptio, totidem menses currunt. Sed qua ratione illud asserere possitis non intelligo: etenim mense Octobri ejusdem anni 595. aliam à Gregorio Iohanni datam invenio, quæ quidem est 15. lib. VI; & si mense Ianuario Iohannes è vivis excessisset, ad eum mense Octobri Gregorius Epistolam mittere non poterat quin novem mensibus Iohannis mors Pontificem latuisset; quod impossibile ostendunt tot eo tempore ab urbe Regia in Romam litteræ delatæ; quot indicant libri V. epistolæ 30. 38. 39. 40. 41. 42. & 43. quarum prima data constat mense Martio an. 595; reliquæ verò mense Iunio, aut Iulio ejusdem anni. Prætereà Gregorius ad Iohannem, ut dixi, mense Octobri an. 595. epistolam 15. lib. VI. misit; in ultima autem ejusdem libri VI, quæ ad mensem Augustum anni 596. attinet, ordinationis Cyriaci mentionem facit: Concluditur ergo, & Iohannem mense Ianuario an. 595. vita functum non fuisse; & Cyriacum non integro anno elapso ordinatum esse; ac tandèm ejus Synodicam non post viginti ferè menses, sed ante duodecim exceptam à Gregorio fuisse.

(*uu*) *Lib.III.cap. I. n. XII. & XV. De obitu Iohan. C.P; Cyriaci electione; & pœna eis ob assumptum œcumenici titulum à S. Gregorio inflicta.*

Quo ad pœnam ob assumptum œcumenici titulum eis inflictam jam aliquid notavi num. VII. cap. II. lib. II. Prohibuit enim Gregorius Diaconum suum Missarum solemnia cum Cyriaco celebrare. Hoc ipsissimo modo cum Johanne hujus prædecessore ob idem se gessisse, & Gregorium, & Pelagium II, plures docent Epistolæ. Hanc pœnam non fuisse Canonicam verba epistolæ 18. & 19. lib. V. demonstrant: Aliam ei non fuisse impositam decima quinta lib. VI, manifestat: undè adjudicandum eum nunquam à communione Sedis Apostolicæ rejectum fuisse inutilis videtur recursus ad *sanctæ memoriæ* verba, quibus eum Gregorius in sexta lib. VII, compellat. Erant tamen in 66. lib. VI. alia, quæ: quia de nullo dicta, quemlibet de Iohannis sanctitate certiorem facient. Ait enim S. Doctor in fine prædictæ 66. epistolæ: *De hoc quoque, & dilectissimo Fratri nostro Constantinopolitanæ civitatis Antistiti, qui in supradicti SANCTI IOHANNIS loco ordinatus est, nostra volumus scripta transmittere.*

(*vv*) Marinianum Ravennatem Episcopum priùs fuisse Monasterii S. Andreæ Abbatem neque à vobis, neque ab aliquo unquam dictum invenio; sed tali officio, vel dignitate eum etiam functum fuisse, quæ referam, verba epist. 48. lib. V. & 15. lib. VIII, penitùs demonstrant. Sic enim de eo in prima Gregorius loquitur: *Tandem venerabilem Fratrem Marinianum Presbyterum, quem diu mecum didicere in Monasterio conversatum communi.....voce, atque consensu sæpiùs petiverunt.* In secunda verò ita eum affatur: *Quam sit necessarium Monasteriorum quieti prospicere, & de eorum perpetua securitate tractare, anteactum vos officium, quod in regimine Monasterii exhibuistis, informat.* His à S. Gregorio in Concilio Romano III. sub numero VII. Appendicis posito de semetipso dictis S. Doctorem ejusdem Monasterii Abbatem fuisse in num. I. cap. VI. lib. I. probatum relinquitis: undè hoc in loco non solum Monachum, sed etiam Abbatem eum nominare debetis.

(*vv*) *Lib.III.cap.II.n. VI. De Mariano Ravennæ Episcopo, prius verò Monasterii S. Andreæ Abbate.*

(*xx*) Hìc mihi paulò extra meæ crisis metam excurrere liceat. *Placuit enim*, dicitis, *Zozimo aliisque deinceps Romanis Pontificibus nobilissimæ civitatis Episcopos Vicaria Sanctę Sedis potestate insignire: quorum tanta erat auctoritas, ut septem Provinciarum Synodo præessent, litteras formatas Cleri-*

(*xx*) *Lib.III.cap.II.n. III. De Primatu Arelatensi.*

 ri-

ricis peregrinantibus, ipsisque Episcopis abeundi licentiam darent. Si quæ vero in Galliis, & in Hispania orirentur de fide, aut moribus controversiæ, ad illos tamquam Primates, Romanique Pontificis Vicarios dirimendæ referrentur. At cum ab Hilario Arelatensi Episcopo pervasa fuisse Metropolitanorum jura, & usurpatas, quæ de ipsis deberentur ordinationes, accepisset S. Leo, primatum amplissimum in ipsum, Episcopumque Viennensem divisit. Ad quem autem ex his tunc pertinebat Hispania non asseritis. In nota verò-a-ad hunc numerum ita dicitis: *Ante S. Leonem Bonifacius I. & Cœlestinus I. de Arelatensium Episcoporum privilegiis jam quædam detraxerant.* Sed super hoc Henrici Spondani sententiam referam; Hic enim postquam tom. I. Epitom. Annal. Baronii, pag. 602. num. IV. de concessione Primatus Arelatensis mediante Epistola Zozimi *ad universos Galliarum Episcopos* loquitur, ita in num. V. ait: *Verùm post hæc Zozimum de juribus Ecclesiæ Viennensis per Legatos admonitum revocasse sententiam adversus eam datam, donec plenior de causa cognitio haberetur, docet alia ejusdem Epistola ad Simplicianum Viennensem Archiepiscopum. Et qui Zozimo successit Bonifacius Papa scribens ad Hilarium Episcopum Narbonensem, ex auctoritate Concilii Niceni jussit ejus Provinciæ Metropolim integrè conservari, neque ad Arelatensis Episcopi jura pertinere; in cujus paritèr sententiam successor Bonifacii Cœlestinus abiit; necnon post multum tempus S. Leo, ac ceteri fere Romani Pontifices cum ejusmodi controversia sæpè sopita, iterum in judicium revocata est: ut constat cum ex aliis tum præcipuè ex plurimis eorumdem Pontificum ea de re scriptis litteris, quæ habentur in dictis codice Arelatensi, & Bibliotheca Floriacensi* Ruit igitur per illa verba *ad universos Galliarum Episcopos* Arelatensis Antistitis Primatus, & Vicaria Sanctæ Sedis potestas ad dirimendas Hispaniarum de fide, aut moribus controversias: quia si ejus potestas ad Hispaniam per Epistolam extensa fuisset, non solùm ad Galliarum Episcopos hanc Zozimus direxisset. Per illa autem alia *revocasse sententiam* Primatus Arelatensis in Galliis etiam à suo, vel quod dicitis, initio corruit: undè non à Bonifacio I; sed ab ipso concedente ejus divisio incœpit. Eadem est Natalis Alexandri sententia tom IX. pag. 10. Præterea omni, qua potui, diligentia vidi quidquid tom. I. *Galliæ Christianæ* de Arelatensibus Antistitibus scripsit Domnus Dionysius Sammarthani, inclytæ vestræ Congregationis Monachus, & nil de Primatu Arelatensi ad dirimendas Hispaniæ de fide, aut moribus controversias inveni. Cardinalis Aguirre, atque aliorum, quos hìc primatus fugit, sententiam non refero: quia ostendit satis repugnantiam ejus ipsa Primatum institutio.

(yy) Lib.III. cap.III. n. XI. De conversione Paganorum, & Iudæorum.

(*yy*) In hoc numero conceditis quod in nota-b-epistolæ 35. lib.I. Gussanvillæo negastis; ibi enim post ejus notam ita dicitis: *Hac in observatione Gussanvillæus Gregorium quasi pugnantia scripserit, ipsimet Gregorio videtur opponere, sed immeritò, &c.* Hìc autem: *A se constituta mutare, & fixa refigere non verebatur humilis Gregorius, quando experientia compertum habebat ea Reipublicæ Christianæ non amplius prodesse. Itaque quamvis plurimis in Epistolis docuisset cum heterodoxis, & ipsis Iudæis mitius esse agendum, Religionemque Christianam non minis, & terroribus, sed benignitate, ac prædicationis suavitate persuaderi debere; posteà tamen mutato consilio frequentèr scripsit Manichæos, & Iudæos, qui in possessionibus Romanæ Ecclesiæ erant (cum mansuetudine pellici non potuissent) summoperè esse infectandos, & tributis onerandos.* At venia vestra, Gussanvillæique dicam: quod nec iste in sua nota de operibus tanti Doctoris, quod debuit, judicium fecit; nec vos in hoc numero conformitèr ad sua scripta locuti estis: Nam dum de Paganis convertendis Gregorius loquitur terroribus, ac oneribus persequendos esse semper monet; dum vero de Iudæis, benignitate, ac mansuetudine alliciendos esse semper consiliat. Illud quidem probant epistolę 26. lib.IV. 18. lib.VIII. & initium 8. lib. V. Hoc autem evincunt 35. & 47. lib. I. 32. lib.II. 8. lib.VIII. 55. lib IX. & 12. libri XIII: Si enim S. Gregorius constituta à se in epistolis 35, & 47. libri I, mutavisset in 26. lib.

lib. IV. initio octavę lib. V. & 18. lib. VIII, sequeretur etiam quod constituta à se in his rursus mutavisset in 25. libri VIII. 55. lib. IX. & in 12. lib. XIII: quia in duabus primis benignitate, & mansuetudine trahendos esse judicat, in tribus autem sequentibus persequendos esse, ut veniant, admonet; tandèm in tribus ultimis rursus benignitatem, ac mansuetudinem cum eis observare consiliat. Quis tantam animi imbecillitatem constantissimo Doctori tribuet? Certè nullus, qui ejus super hoc Epistolas accuratè legat, & præcipuæ octavam lib. V, ex qua, ni fallor, tota errandi occasio provenit. Eam quidem in duobus capitibus S. Doctor dividit; in primo loquens de Manichæis eos summoperè persequi, sicut in omnibus ubi de eis, Cyprianum admonet: In secundo autem de Iudæis sermonem faciens eos promissione diminutionis onerum pensionis ex alio titulo debitæ, velut in aliis benignitate, & mansuetudine, alliciendos esse præcipit.

Nec obstant ea 35. epistolæ lib. I. verba scilicèt: *Eos enim, qui à Religione Christiana discordant, mansuetudine, benignitate admonendo, suadendo ad unitatem fidei necesse est congregare, ne quos dulcedo prędicationis, & prævetus futuri Iudicis terror ad credendum invitare poterat, minis ac terroribus repellantur.* Nam intelligenda esse non de omnibus discordantibus ipse Epistolæ textus, in quo tantùm de Iudæis locutus fuerat, manifestè docet; confirmatque hanc assertionem Albornotianus codex, ubi non *Eos enim*, sed *Hos enim* legitur. Prætereà nemo dubitat quod Iudæos, & Paganos par morum qualitas non astringit. Quid nunc mirum, si pro diversitate morum; licet utrique à Religione Christiana discordarent, Iudæos, quibus in sua lege vivere permittebatur, mansuetudine ad fidem congregare prudentissimus Pastor semper intenderet; Paganos verò, quibus in infidelitate permanere non erat concessum, terroribus, pensionumque augmento compellendos ad eam venire semper judicaret!

Omittere non possum verba homiliæ X. in Evangelia, quæ hoc penitùs confirmant: quia longum facere obstare minimè debet dum implicatio tanto Doctori attributa, etsi humilitatis decorata prætextu, profliganda carpitur. Hæc sunt verba: *Sed quærendum nobis est, quidnam sit quod Redemtore nato, pastoribus in Iudæa Angelus apparuit, atque ad adorandum hunc ab Oriente Magos, non Angelus, sed Stella perduxit? Quia videlicèt Iudæis tanquam ratione utentibus, rationale animal, id est Angelus, prædicare debuit: Gentiles vero, quia uti ratione nesciebant, ad cognoscendum Dominum non per vocem, sed per signa perducuntur.*

(zz) Ex commendatitiis, quas Augustinus deferendas acceperat, epistolis ejus iter per Gallias describitis. Sed, quia ex eis nulla Clothario Francorum Regi data legitur, dicere prætermisistis: per Regiam hujus Sedem, Parisiensem nempè civitatem, illum transiisse. Verùm hoc docent epistolæ sexagesimæ primæ lib. XI. Clothario directæ hæc verba: *Quidam igitur, qui cum Reverendissimo Fratre, & Coepiscopo nostro Augustino ad Anglorum gentem perrexerant, revertentes, quanta eumdem Fratrem nostrum Excellentia vestra in præsentia positum, caritate refecerit, quantisque suffragiis proficiscentem adjuverit, narraverunt.*

(zz) *Lib. III. cap. IV. n. VII. De Augustini itinere per Gallias.*

(aaa) De conversatione Monastica in Ecclesia Cantuariensi ab Augustino Monasterii S. Andreæ Præposito instituta adeò clarum est venerabilis Bedæ testimonium, sicut illud aliud S. Gregorii in ep. 1. lib. V. de impossibilitate conjungendi illam cum militia Ecclesiastica. Undè utriusque veritas propugnari non potest quin dicatur Bedam appellare Monasticam conversationem illam, quam S. Gregorius in epistola 64. lib. XI. responsione prima Augustinum monet, ut in Cantuariensi Ecclesia instituat. Hæc quidem si Gregorii judicio cum militia Ecclesiastica inconjungibilis, sicut Monachica regula, foret, ab eo, ut instituenda, minimè consiliaretur: ex quo clarè deducitur conversationem Monasticam Ecclesiæ Anglorum aliam fuisse à conversatione, seu regula Monasteriorum Italiæ, atque Siciliæ. Hujus discursus rectitudinem demonstrant tot S. Gregorii epistolæ ubi de Monachis uxoratis ab uxoribus avellendis, suisque Monasteriis retrudenden-

(aaa) *Lib. III. cap. V. num. V. & VI. De conversatione Monastica in Ecclesia Anglorum.*

dendis loquitur, & secunda ad Augustinum responsio: In hac enim postquam de instituenda conversatione primitivæ Ecclesiæ in prima locutus fuerat, ita ait: *Si qui verò sunt Clerici* (ex illis à quibus seorsum vivere Augustinus, jam Episcopus, non debebat) *extra sacros ordines constituti, qui se continere non possunt, sortiri uxores debent, & stipendia sua exterius accipere: quia & de eisdem Patribus*, (primitivæ Ecclesiæ) *de quibus præfati sumus, novimus scriptum quod dividebatur singulis prout cuique opus erat. De eorum ergo stipendio cogitandum, atque providendum est, & sub Ecclesiastica regula sunt tenendi, ut bonis moribus vivant, & canendis Psalmis invigilent, & ab omnibus illicitis cor, & linguam, & corpus Deo auctore conservent. Communi autem vita viventibus jam de faciendis portionibus* &: erant igitur in Ecclesia Anglorum, & Clerici communi vita viventes, & Clerici cum suis uxoribus habitantes: ergo verbum *Clerici* non potest ibi intelligi de Monachis sub S. Benedicti regula contentis; quia hi etiam extra sacros ordines constituti se continere non valentes sortiri uxores non possunt. Quis unquam vidit ab aliqua Monachorum regula sancitum quod hìc Gregorius ait se de Patribus primitivæ Ecclesiæ novisse scriptum? Igitur alia à Benedictina erat illa regula Monachica, quam, ut testatur venerabilis Beda in num. VI. citatus, *per omnia cum ipso Episcopo* (Lendisfarnensi) *omnes Presbyteri, Diaconi, Cantores, Lectores, ceterique gradus Ecclesiastici servabant.* In ista, absque dubio à Beda Monachica dicta; quia omnia erant communia, Monachi extra sacros ordines constituti uxores ducere poterant; atque uxorati canendis Psalmis invigilare debebant; conjugioque non obstante, prout illis opus erat, licet exteriùs, dividebatur. Dixi *Monachi*; quia verbum *Clerici* idem ibi significare vultis.

(*bbb*) Lib. III. cap. VI. n. II. super eodem

(*bbb*) Utrum verò Canonici Regulares dici debeant Lector judicet, aut regularis instituti Canonici Propugnator probet. Ego tantùm dicam; quod consequentia ab eo ex epistola 43. lib. VII. deducta vos, quia num. IX. cap. III. præcedentis immemores, in admirationem irrisionis erga illum rapuit, quod sic demonstro: in num. II. hujus VI. cap. ita dicitis: *Ad posteriorem locum* (hoc est ad secundam objectionem ex posteriori loco desumptam) *jam veniamus. Sanctus Doctor lib. VII. ep. 43. hæc decernit: Si quispiam Abbatum, aut Monachorum ex quocumque Monasterio ad Clericatus officium, vel Ordinem sacrum accesserit; non illic aliquam habeat ulterius, ut diximus, potestatem; ergo hoc ipso quod ad curam Ecclesiæ sustinendam ordinabatur Monachus, Monachatus auferebatur, inquit nuperus Scriptor. Mira sanè consequentia. Quasi verò idem esset potestas in Monasterio, & Monasticus status, qui obedientia, & subjectione potius quam potestate, ac auctoritate constat.* In numero autem IX. præcedentis cap. III. sic loquimini: *Ad sacrum ministerium ordinari* (Monachi) *non debebant, nisi præmisso, de vita, & moribus serio examine. Et hi quidem velut emancipati, ulterius in Monasterio nec habitabant, nec habitandi potestatem habebant aut licentiam; Ne Monasteria hujus occasionis velamine, ea quæ prohibemus, sustinere onera compellantur, inquit S. Gregorius lib. VII. ep. 43. Qui verò pro Monasteriis Presbyteri constituebantur, adhuc juris Abbatum erant, neque obedientiæ jugum excutere poterant.* Mira sanè derisio! Nunc Canonici instituti Propugnator meritò exclamare poterat. Sed ut prædictæ derisæ consequentiæ rectitudo clariùs percipiatur, eam ex assertionibus vestris deductam hìc apponam. Per vos status Monasticus obedientia, & subjectione potius quam potestate, ac auctoritate constat; per vos etiam Monachi, qui pro Ecclesiis Presbyteri constituebantur, obedientiæ jugum excutiebant, jurisque Abbatum non erant; *Ergo hoc ipso quod ad curam Ecclesiæ sustinendam ordinabatur Monachus, Monachatus auferebatur.*

Num. III. Tunc Augustinum non fuisse Clericum, nec Ecclesiasticis officiis addictum constat ex ep. 108. lib. IX. Syagrio Augustodunensi Episcopo missa, in qua Gregorius sic loquitur: *Quia igitur in prædicationis opere, quam diu cogitans Anglorum genti per Augustinum tunc Monasterii mei Præpositum, nunc Fratrem, & Coepiscopum nostrum.* Quod verò Presbyter, aut Dia-

Diaconus tunc foret ad Clericatum ejus probandum nil facit: quia Monachus pro suo Monasterio Presbyter constitutus dici Clericus non potest; vos enim tomo 2. columna 1411. titulo penultimo dicitis: *Secularis Clericus non possit esse Abbas, qui si Abbas esse voluerit, desinat esse Clericus.* Ex quibus hunc discursum effingo: Nemo potest desinere esse Presbyter, vel Diaconus; sed Clericus secularis desinere debet esse Clericus, si velit esse Abbas: ergo esse Clericum est aliud ab ordine sacro Diaconatus, vel Presbyteratus. Igitur ex eo quod Augustinus Presbyter, vel Diaconus fuisset minimè probatur quod Clericus esset.

Ex notatis præcedenti numero II. hìc emendanda venit sequens propositio vestra: *Etsi verò Monachus ad Ecclesiasticas curas, & dignitates assumtus, Monachus ultra non diceretur, esse tamen minimè desineret, quod contendit vir doctus*, (Canonici Regularis instituti Propugnator) *at in lectione Grogorii Magni penè peregrinus.* Similitèr corrigi debet hujus propositionis probatio, utpotè vestræ sententiæ in num. VII. sequenti penitùs contraria. Ecce demonstratio: *Cum enim*, dicitis, *denominatio à nobiliori gradu desumatur, quid mirum si quis Monacho superinduens Episcopum, exempli gratia, non amplius Monachus vocitetur, licet Monachum non deposuerit; & in Monasticis etiam institutis, in vigiliis, jejuniis, orationibus perseveret?* In numero autem VII, sic loquimini: *Porrò, vel hæc sola proprii retentio, ex ipsomet regulę instituto, à Canonici Regularis statu adeò abhorret, ut evertat, & secularem eum efficiat.* Nunc sic: Monachus factus Episcopus proprium habet, & tunc habebat: Siquidem initio tantùm nascentis Ecclesiæ omnia erant communia: quia nullus Patrum ex his, quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, ut inquit S. Gregorius in responsione prima ad Augustinum; hæc sola proprii retentio: quia ex ipsomet Regulæ instituto à Canonici Regularis statu abhorret, vestro judicio sufficit, ut eum secularem efficiat: quare non sufficiet, non minus à Monastico statu abhorrens, ut Monachus factus Episcopus nec sit, nec amplius vocitetur Monachus? *Num. IV.*

Nec Iohannis Diaconi testimonium, nec secundum numeri V. Appendicis decretum præfatam sententiam oppugnant. Primum non: quia sex Monachos, quos tamquam S. Gregorii familiares ex ipso Iohanne in num. IV. cap. III. lib. II. recensuistis, tales non fuisse ex immediatè dicendis penè liquet. Primus est Maximianus: Hunc Syracusanum Episcopum fuisse prius, quàm S. Gregorius in Pontificem unctus esset constat ex eo quod inter Epistolas non invenitur aliqua de missione Palii ad illum, sicut ad Iohannem successorem ejus: cumque in hac, quæ 17. lib. V. est, Gregorius asserat tali decore Maximianum usum fuisse, credibile non est eum Gregoriani Pontificatus tempore Episcopum factum esse. Secundus, videlicèt Augustinus, quando ad Anglorum conversionem mittebatur Monasterii S. Andreæ Præpositus erat, ut jam dixi num. III. præcedenti. Tertius, nempè Mellitus, dum ad eamdem conversionem fuit missus Abbas erat, ut ex epistolis 54. 58. & 61. lib. XI. evincitur. Marinianus autem dum Ravennas Episcopus fuit electus in Monasterio habitabat, ut deducitur ex epistola 48. lib. V. Claudius, qui post præfatos nominatur, indictione X. erat Abbas Monasterii SS. Iohannis, & Stephani Classitanę civitatis, ut videri potest in ep. 46. lib. II. *Num. V. & VII.*

Suspicor tamen Iohannem Diaconum ideò Claudium inter familiares ex Monachis electos recensuisse; quia S. Gregorius in ep. 16. lib. VIII. ad Marianum Episcopum Ravennatem missa ait: *Quod communem filium Claudium Abbatem, latorem presentium longa apud nos hactenus mora retinuit, res illa fecit, quod magnum nobis, sicut nostis, erat in verbo Dei solatium: quem etiam hic adhuc volueramus diutius retinere, si & ipse non festinasset ad suum Monasterium, & nos congregationi fratrum ejus præsentiam esse omninò necessariam sciremus.* Hanc longam moram plus quàm ad septem menses extendi non posse ex nota temporis præcitatæ epistolæ, & ultimæ libri præcedentis æquè colligitur, ac ex earum textu domesticum hunc

con-

convictum (si fortè fuit : nam in aliquo Monasterio hospitari poterat) præ famulitio hospitium intelligi debere. Hoc confirmat sequens 17. ejusdem libri Epistola Maurentio Magistro militum data ; ubi S. Gregorius inquit: *Quæsivi autem qui vobis adhæreant in lectionis Sacræ Collegio, & neminem reperi, & vehementèr ingemui paupertatem boni. Et quamvis peccator ego valdè occupatus sum; tamen si ad Beati Petri Apostoli limina venire volueritis in sacro eloquio strictum poteritis me habere Collegam.* Ob quæ nullus Maurentium in famulitium Gregorii receptum judicabit: quia seculares omnes à cubiculo suo jam removerat.

Probus tamdem Abbas Monasterii SS. Andreæ, & Luciæ dum Abbas fuit, convictor S. Gregorii non perstitit, & antequam fuisset Abbas, Monachus non fuit, ut apertissimè constat ex nono Appendicis numero, cujus verba utramque meæ assertionis partem demonstrantia, ne latiùs dicam silentio prætermitto.

Non secundum, id est decretum, quia cum Monachica regula plus conjungibilis non sit cum Pontificiis obsequiis, quàm cum alicujus Ecclesiæ cura, atque Gregorii judicio nemo possit, & huic deservire, & in illa ordinatè persistere, idem de familiaribus ex Monachis electis, ac de promotis ad Ecclesiæ curam judicium profero, hac ductus ratione, quod Gregorius lib. XI. ep. 33. Mariniano dixit: *Si igitur eadem ægritudine gravari te sentis, & venire disponis, cum paucis tibi veniendum est: quia mecum in Episcopio manens, quotidiana obsequia de hac Ecclesia habebis.* Heliæ autem Presbytero, & Abbati Isauriæ ep.38 lib. V. *Filium vero vestrum Epiphanium mandastis ut ad sacrum ordinem provehere deberemus, vobisque retransmittere. Sed in uno vos audivimus, in altero autem minimè audire potuimus. Diaconus quidem factus est; sed quisquis semel in hac Ecclesia ordinem sacrum acceperit, egrediendi ex ea ulterius licentiam non habet.*

(ccc) *Lib. III. cap. VII. n. I. Non omnes Angliæ Monachi ab initio Benedictini fuere.*

(ccc) Benedictinam Regulam ab Augustino in Angliam delatam hìc asseritis; sed pro priori ad Augustini adventum Monasterium Bancor in Uvallia Angliæ Provincia situm erat, ut ex num. VI. capitis sequentis deducitur : igitur non omnes Angliæ Monachi ab initio Benedictini fuere.

(ddd) *Lib. III. cap. VIII. num.VII. Super identitate Episcoporum, & Abbatum Angliæ.*

(ddd) Hujus numeri textum transcribere necessarium duxi, ut tria ei obstantia clariùs percipiantur. Dicitis : *Evocato ad superos Augustino, qui ab ipso ordinati fuerant Episcopi, Mellitus Londoniæ, Iustus Roffe, & Laurentius ipsius in Dorovernensi Cathedra successor; de revocandis à schismate tum Britonibus, tum Scottis Hiberniæ Insulæ habitatoribus plurimum satagerunt, scriptis ad eos Epistolis caritatem, & humilitatem Christianam spirantibus. Missæ ad Scottos, seu Hibernos hæc erat inscriptio, quam refert Beda: Dominis carissimis Fratribus Episcopis, vel Abbatibus per universam Scotiam. Ubi Episcopi, & Abbates iidem esse videntur.* Huic opinioni primùm obstat Bedæ testimonium num.VI. cap.V. hujus libri citatum : siquidem ibi constat quod Lendisfarnensis Episcopus cum consilio Fratrum Monasterii Abbatem eligebat ; ait enim Beda : *Undè ab illo* (Aidano) *omnes loci hujus* (Lendisfarnensium) *Antistites usque hodie sic Episcopale exercent officium, ut regente Monasterium Abbate, quem ipsi cum consilio fratrum elegerint, omnes Presbyteri, Diaconi, Cantores, Lectores, ceterique gradus Ecclesiastici Monachicam per omnia cum ipso Episcopo Regulam servent.*

Secundò, Synodi Cloveshoviensis decretum immediatè ante hunc numerum adductum, ibi : *Ita ut uterque dies ab Ecclesiasticis, & Monasterialibus feriatus habeatur.* Nam si conjunctio *vel* in Epistolæ ad Scottos inscriptione eosdem esse Episcopos, & Abbates denotat, quare diversos fuisse Ecclesiasticos, & Monasteriales conjunctio *et* in decreto non significabit? Præterea, si Ecclesiis ab Episcopo Abbate, & Monachis serviebatur quare Synodus non omisit verbum *Ecclesiasticis*? Fortasse respondebitis id ipsum, quod num. XI. cap. VI. præcedentis dedistis, videlicet : *Presbyteros aliquos Monasticis legibus nullatenus adstrictos Episcopo sociatos esse.* At tunc rursus interrogo : quare hos Monasterialibus illic principalioribus Synodus anteposuit?

Vel-

Vestræ tandem opinioni potissimèque obstat maximum inconveniens ex ipsa resultans, quod sic ostendo: In Insula Hiberniæ Episcopi erant, qui ex inscriptione Epistolæ ad illos esse etiam Abbates vobis videntur; sed hi neque ab Augustino, neque ab ejus sociis ibi fuerunt instituti, ut ex num. VI præcedenti evincitur: igitur pro priori ad Augustini adventum iis in partibus Ecclesiæ erant Regulam Monachicam servantes.

(*eee*) Ex inscriptione epistolæ 32. lib. IV. Narsam Patriciæ dignitatis fuisse hìc colligitis; at in nulla ex Epistolis ad eum directis titulo *Gloriæ*, vel *Excellentiæ*, ipsis ad Patricios proprio, Gregorius eum compellat. Videatur nota ad num. VII. cap. V. lib. 2, simulque vestra nota-a-ad prædictam Epistolam.

(eee) Lib. III. cap. XI. n. IV. De Narsa.

(*fff*) Ex epistola 1. lib. VIII. dicitis: *Laudavit insuper consilium Petri Episcopi* (Aleriæ) *de alio Episcopo in eadem Insula* (Corsicæ) *ordinando.* Locus prædictæ Epistolæ sic legitur: *Vestra autem Fraternitas petiit, ut sibi Episcopum in Ecclesia, quæ non longè ab eodem monte* (Negeugno) *est, facere debeat; quod omninò libentèr accepi; quia quantum vicina fuerit, tantum prodesse animabus illic consistentibus amplius poterit.* Gussanvillæus in nota-d-ad illam legendum *Episcopium* conjecit: quia textus favet; & quidem Petrus per alterius Episcopi ordinationem vicinior non fiebat. Vos autem post Gussanvillæi notam ibi immediatè asseritis quod plerique Mss. conjecturam ejus juvant: quia litteræ, quibus scribitur, æquè utrumque significare possunt: undè cum litterę Gussanvillæi conjecturam, cui textus favet, non rejiciant, hic de alio Episcopio faciendo loqui debuistis, non de alio Episcopo ordinando.

(fff) Lib. III. c. XII. n. I. De alio Episcopio, seu domo Episcopali facienda.

(*ggg*) Postquam epistolæ 35. lib. X. aliqua verba adducitis ad probandum *Sanctissimum Pastorem omnium Christi ovium in alienos, & vicarios humeros rejiciendum non putasse jugum sibi à Christo impositum*, sicut Pontificale munus appellabat, dicitis: *Alius proculdubio Pontifex nil aliud cogitans quam de levandis incommodis, de adhibendis remediis, accercendisque Medicis ad eorum nutum negotiis Ecclesiasticis nuntium remisisset, omnesque Pontificatus curas Vicariis tradidisset. Non desunt Summis Antistitibus, & Episcopis, qui succedere oneri pastorali, sive ex caritate, sive ex cupiditate ambiant.* At cum hujus veluti objurgationis aliorum Pontificum, eisque assistentium, in ipsa epistola fundamentum quærerem, oppositum non solùm in ea, sed etiam in 33. lib XI. quam protinus recordatus sum, plenissimè inveni: hæc enim scripsit Gregorius in 33. Mariniano Ravennæ Episcopo de vomitu sanguinis ægrotanti: *Veniente quodam Ravennate homine, gravissimò mœrore percussus sum, quia fraternitatem tuam de vomitu sanguinis retulit ægrotare. Ex qua re sollicitè, & singillatim eos, quos hic doctos lectione novimus, Medicos fecimus inquiri, & quid singuli senserint, quidve dictaverint sanctitati vestræ transmisimus. Qui tamen quietem, & silentium prę omnibus dictant: quam si tua Fraternitas in sua Ecclesia possit habere, valdè sum dubius. Et ideò videtur mihi ut ordinata illic Ecclesia, vel qui Missarum solemnia explere valeant, vel qui Episcopii curam gerere, hospitalitatemque, & susceptiones possint exhibere, quive Monasteriis custodiendis præesse, tua Fraternitas ad me ante æstivum tempus debeat venire, ut ægritudinis tuæ ego specialitèr, in quantum valeo, curam geram, quietem tuam custodiam: quia huic ægritudini æstivum tempus Medici vehementèr dicunt periculosum. Et valdè pertimesco, ne si curas aliquas cum adversitate temporis habueris, amplius ex eadem molestia pericliteris. Ego etiam ipse valdè sum debilis, & omninò est utile ut cum Dei gratia sanus ad tuam redeas Ecclesiam: aut certè si vocandus es, inter tuorum manus voceris: & ego qui me proximum morti video, si me omnipotens Deus ante te vocare voluerit, inter tuas manus transire debeam. Si autem qualitas temporis ad veniendum præpedierit, aliquo parvo exenio dato, apud Agonem* (Langobardorum Regem) *agi potest ut ipse vobiscum hominem suum usque Romam transmittat. Si igitur eadem ægritudine gravari te sentis, & venire disponis, cum paucis tibi veniendum est: quia mecum in Episcopio manens,* quo-

(ggg) Lib. IV. cap. IV. n. I. Quædam infirmorum de modo operandi objurgatio ipsius Gregorii consilio, vel præcepto injusta ostenditur.

quotidiana obsequia de hac Ecclesia habebis. Præterea nec hortor, nec admoneo, sed districtè precipio ut jejunare minimè præsumas; quia dicunt Medici huic molestiæ valdè esse contrarium, nisi fortè si grandis solemnitas exigit quinque in anno vicibus concedo. A vigiliis quoque temperandum est, & præces, quę super cereum in Ravennati civitate dici solent, vel expositiones Evangelii, quæ circa Pascalem solemnitatem à Sacerdotibus fiunt, per alium dicantur. Et tua dilectio contra virtutem laborem sibi minimè imponat. Hæc autem dixi, ut si te meliùs senseris, & venire distuleris, scias quid debeas ex meo mandato custodire.

In 35. epistola lib. X. ex qua asiduum Gregorii laborem non solùm deducitis, sed quid alius Pontifex proculdubio faceret conjicitis, Eulogio Patriarchæ Alexandrino S. Doctor hæc scripsit: *Transacto anno suavissima sanctitatis vestræ scripta suscepi, quibus pro ęgritudinis meę nimietate respondere nuncusque non valui.* Trigesimam quoque nonam ejusdem libri super eodem argumento, errore scilicèt Agnoitarum, eidem Eulogio scriptam sic concludit: *Sed ad hęc ei*, hoc est Anatolio Diacono Constantinopolitano S. Doctoris sententiam requirenti, *necdum respondi, quia gravi nuncusque infirmitate detentus sum. Iam nunc autem vestra cœpi oratione convalescere, & ei si ita perfectè convaluero, ut dictare valeam, adjuvante Domino, respondebo.* Illud igitur justificate præceptum; vel importunam de oratione tollite conjecturam.

(*hhh*) *Lib.IV.cap.IV. n. II. De errore Agnoitarum.*

(*hhh*) Ab immediatè citata 39. epistola, lib. X. occasione desumpta in hoc numero dicitis: *Agnoitas Nestorianos fuisse Gregorius docet esse maninifestum; undè me latet qua ratione contrarius Eutychianorum error ipsis à doctissimo Theologo tribuatur.* Ut autem nemo fortasse inscium sententiæ Agnoitarum Gregorium existimet, verba ipsius in citata Epistola, & S. Isidori Hispalensis locum cap. V. libri VIII. Etymologiarum ponam, ex ipsisque per argumentationem concludam quod S. Gregorius præcisè Eutychianorum errorem Agnoitis non tribuit, sed cum additamento, ex quo deducit, seu tantùm per illationem docet manifestum esse Agnoitas Nestorianos fuisse. Ecce vobis Gregorii verba: *Diem ergo, & horam judicii scit Deus, & homo: sed ideò quia Deus est homo. Res autem valdè manifesta est, quia quisquis Nestorianus non est, Agnoita esse nullatenus potest. Nam qui ipsam Dei sapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere esse aliquid quod Dei sapientia ignoret?* En Isidori locus: *Agnoitæ... à Theodosianis exorti sunt.... Agnoitę ab ignorantia dicti, quia perversitati, à qua exorti sunt, id adjiciunt, quod Christi divinitas ignoret futura, quæ sunt scripta de die, & hora novissima, non recordantes Christi personam in Isaia loquentis: dies judicii in corde meo.* Et immediatè suprà: *Theodosiani.... errorem Eutychetis..... sequentes.....ex duabus unam in Christo naturam....corruptam.....contendunt.* Et suprà: *Eutychiani dicti ab Eutyche... qui Christum post humanam assumptionem negavit existere de duabus naturis, sed solam in eo divinam asseruit esse naturam.* Tandem immediatè supra: *Nestoriani à Nestorio....nuncupati, qui Beatam Virginem Mariam non Dei, sed hominis tantummodo asseruit genitricem, ut aliam personam carnis aliam faceret Deitatis. Neque unum Christum in Verbo Dei, & carne credidit, sed separatim, atque sejunctim alterum filium Dei alterum hominis prædicavit.*

Nunc sic: Eutychianorum error tantùm est asserere solam in Christo esse divinam naturam post assumptionem humanam; atqui S. Gregorius in sua Epistola convellere intendit ignorantiam diei, & horæ judicii, quam huic divinæ naturæ Agnoitæ tribuunt postquam solam, utpotè à Theodosianis, qui Eutychetis errorem sequuntur, exorti, in Christo fatentur: ergo illis Eutychianorum errorem non solùm, sed cum additamento tribuit. Quod verò ex hoc additamento ut doctissimus Theologus deducat, seu tantùm per illationem doceat esse manifestum Agnoitas Nestorianos fuisse, etsi Gregorii verba satis indicent, me etiam probare molestè non feratis. Sic enim interrogat S. Doctor: *Nam qui ipsam Dei sapientiam fatetur incarnatam,* (ut Eutychianus) *qua mente valet dicere* (ut Agnoita) *esse ali-*

aliquid quod Dei ſapientia ignoret? Quaſi diceret: non poteſt quis negare quod ſapientia incarnata ſcit diem, & horam judicii quin neget cauſalem quare hæc futura ſcire debet, nempè *quia Deus eſt homo*; ſed negare hanc error eſt Neſtorianorum, qui duas in Chriſto perſonas adſtruunt, & negare illud Agnoitarum: igitur *res valdè manifeſta eſt, quia quiſquis Neſtorianus non eſt Agnoita eſſe nullatenus poteſt.*

Alio etquidem clariori modo: Agnoitæ ex Iſidoro in capite citato ab Eutyche etſi remotè ortum ducebant, ut Eutychiani Neſtorianis contrarios ſe ponere debebant; ex additamento *ignorantiæ* ad Eutychetis errorem concordes Neſtorianis reſultabant. Quid certè efficatius ad eorum ſomnia refellenda quam ex additamento ad ſententiam, quam ut Eutychiani propugnabant, caſum in contrariam ipſis demonſtrare?

In eodem numero, ſed paulò ſupra, hæc etiam dicitis: *Certè ſufficit Gregoriana hæc Epiſtola ad Agnoitarum ſomnia refellenda; in ea enim occurritur omnibus, undè Chriſto qualiſcumque ignorantia poſſet affingi.* Sed S. Doctor apertiſsimè oppoſitum fatetur. Et utinam non: quia (licet in cap. 23. lib.I. Moralium dicat: *Nam cuncta ſciens, ſed in locutione ſua ignorantiam noſtram ſuſcipiens*) ſic tanti Magiſtri ſolutione ad poſteà propoſitam ei difficultatem meliùs edocti, data occaſione, rectius reſpondere poſſemus. Inquit enim S. Doctor in præcitata epiſtola 39: *Ad hæc vero mihi idem communis filius Anatholius reſpondit aliam quæſtionem, dicens: Quid ſi objiciatur mihi, quia ſicut immortalis mori dignatus eſt ut nos liberaret à morte, & æternus ante tempora fieri voluit temporalis; ita Dei ſapientia ignorantiam noſtram ſuſcipere dignata eſt, ut nos ab ignorantia liberaret? Sed ad hæc ei necdum reſpondi, quia gravi nuncuſque infirmitate detentus ſum. Iam nunc autem veſtra cœpi oratione convaleſcere, & ei, ſi ita perfectè convaluero ut dictare valeam, adjuvante Domino reſpondebo.*

(iii) Ex aſſertione veſtra videlicèt: *In eodem concilio, à quo damnatus eſt Andreas falſorum ſcriptorum Artifex, conceſſa eſt Probo Monacho, & Abbati teſtandi facultas, &c.* atque ex nota temporis hujus facultatis, quæ ſub num.IX. Appendicis ad Epiſtolas conſtituta eſt, ſuppoſita veritate tituli, & notæ temporis Concilii Romani III. ſub num. VII. Append. contenti, deducitur Concilium Romanum IV. pro priori ad III. fuiſſe celebratum, quod ſic demónſtro: In indictione menſis October Aprilem præcedit, quia indictio à Septembri incipit; atqui nota temporis Concilii IV. ſub Gregorio celebrati, eſt *ſub diem tertium Nonarum Octobris Indictione IV.* ſi in eo fuit conceſſa Probo teſtandi facultas: quia ejus eſt hæc temporis nota; & *die Nonas Aprilis Indictione IV.* eſt nota temporis Concilii III; igitur pro priori ad tertium fuit quartum celebratum: Hoc eſſe nullatenus poteſt: ergo vel titulus Concilii IV. ibi: *celebratum anno Domini DCI.* cancellandus eſt, vel ſupraſcripta aſſertio veſtra corrigenda. Alio æquè claro medio aſſertio veſtra convellitur. En illud: October, & Aprilis unius ejuſdem indictionis ſunt October unius anni, & Aprilis alterius: quia indictio incipit à Septembri, annus vero à Ianuario; ſed utrumque Concilium celebratum aſſeritur in eorum titulis anno Domini 601, ex quibus tertium die Nonas Aprilis indictione IV; facultas autem teſtandi conceſſa ſub diem tertium Nonarum Octobris indictione quarta: ergo hoc die non fuit Concilium quartum celebratum.

(iii) *Lib.IV. cap. V. num. XIII. De tempore facultatis teſtandi Probo Abbati conceſſæ.*

At fortaſſe diceris: quod ubi Concilium III. habet in textu *die Nonas Aprilis Indictione IV.* in margine notatum legitur *aliàs III.* qua quidem nota mea corruit objectio: ſed tunc ſequitur quod prædicti Concilii titulus corrigi debet: In eo enim celebratum dicitur anno Domini 601. & indictio III, incœpit menſe Septembri anni 599, finivitque menſe Auguſto anni 600.

Emendari etiam debet titulus Concilii IV. ſi eodem die, quo teſtandi facultas Probo data, celebratum fuit: Nam illa utpotè conceſſa menſe Octobris indictionis quartæ anno Domini 600. reſpondet, quod confirmat Albornotianus codex, in quo nona inter indictionis quartæ Epiſtolas

re-

reperitur, & sic legitur: *In nomine Domini Salvatoris nostri Iesu Christi imperantib; Domno Mauricio, & Tiberio Augustis anno Incarnationis Dominicæ DC. primo eodemque domno undecies Consule sub die tertio NON. Octobrium IN 8. IIII.* Et infrà, ubi Paterius recitavit, ita: *post ejusdem Domini anno XVI.* (id est post Consulatum) quod quidem convenit cum eo, quod in num.II. Appendicis legitur scilicèt: quod depositio Laurentii Diaconi, quæ in codicibus initio X. Indictionis constituta invenitur, facta fuit anno septimo Consulatus Mauricii. Siquidem ab Indictione X. exclusive: quia ut septimus annus Consulatus Mauricii numerata remanet, ad quartam inclusivè novem numerantur anni; septem & novem sexdecim componunt: igitur Indictio IV. cum anno XVI. Consulatus Mauricii proculdubio concurrit.

(*jjj*) *Lib.IV.cap.VI. n. IX. De titulo filii Claudio Abbati dato.*

(*jjj*) Titulum filii, quem Claudio Abbati Monasterii Classensis SS. Johannis, & Stephani in epistola 24. lib.XII. Gregorius dat, eum fuisse Monachum in Gregoriano Romæ Monasterio, & sub ejus disciplina, probare vultis. At eumdem titulum etiam dedit Bonifacio Diacono ep. 52. lib. I. Candido Presbytero ep. 57. 58. & 59. lib. VI. Secundo Servo Dei ep. 10. lib. VII. Felici viro glorioso ep. 45. lib.IX. Dometio Abbati SS. Maximi, & Agathæ in civitate Panormitana ep. 28. ejusdem. Cononi Abbati Lirinensi, & Columbo Presbytero Lunensi ep. 12. lib. XI. Aurelio Presbytero ep.70. lib.XII. Bonifacio omnium Defensorum primo ep. 40. libri XIII. aliisque plurimis, quos certè Monachos non fuisse in Gregoriano Romæ Monasterio nemo dubitabit.

(*KKK*) *Lib. IV. c. VII. n.VI. Qua occasione, & tempore urbe regia excesserit Anatholius Diaconus.*

(*KKK*) *Quo vero tempore urbe regia excesserit Anatholius Diaconus, quave occasione divinare non possumus*, hic dicitis. Utrumque autem manifestum inveni in epistola 24. lib.XII. Iohanni Subdiacono Ravennæ inscripta, ibi: *Nam quia dilectissimæ memorię Anatholius Diaconus quęrenti ac jubenti Domno Imperatori librum Regulę Pastoralis dedit*, *ægrè suscepi*; quia illud verbum *dilectissimæ memoriæ* satis indicat Anatholii obitum, ejusque conscium jam tunc Gregorium fuisse. Prædicta epistola fuit data, ut in fine ejus legitur, *mense Ianuario Indictione V*; ultima verò, quæ ad Anatholium missa reperitur, est 47. Indictionis IV: igitur occasio fuit mors, tempusque hujus à mense Maio, vel Iunio Ind.IV. ad Octobrem, vel Novembrem quintæ.

(*lll*) *Lib.IV. c.VIII. n. V. Episcopus Euriæ non fuit coactus à Sclavis ad deserendam Ecclesiam.*

(*lll*) *Euriæ Episcopum*, hic dicitis, *ad propriam Ecclesiam deserendam coactum esse à Sclavis, aut Avaribus suspicamur, non vero à Langobardis, cum quibus nullum tunc fuisse bellum conjicimus ex litteris, & munusculis à S. Gregorio ad Theodelindam Reginam hoc anno* (idest 603.) *missis.* Sed hæc suspicio penitùs evertitur sequenti ratiocinatione ex verbis ep. 7. & 8.lib. XIV. formata: Temporibus Mauricii jam contenderant super jurisdictione in Casiopi Castro Alcyson Episcopus Corcyræ, & Iohannes Euriæ: Ait enim S. Doctor in prædicta ep. 8. Bonifacio Diacono Constantinopolitano missa: *Quę igitur de Casiopi Castro, quod in Insula Corcyra est positum, acta sint, qualiterve id de jurisdictione Corcyritani Episcopi Episcopus Euriæ moliatur subtrahere, & suæ nequitèr jurisdictioni subjicere, valdè prolixum est dicere....Hoc tamen breviter indicamus, quia dum Mauricio quondam Imperatori esset in præjudicium Ecclesię Corcyritanę subreptum, nec jussio ejus, quippè quæ contra Leges, & sacros Canones data fuerat, habuisset effectum, & indecissa inter partes contentio remansisset; aliam illum ad Andream quondam fratrem nostrum tunc Nicopolitanum Metropolitam jussionem dedisse, ut quoniam utraque pars ejus erat jurisdictioni subjecta ipse hanc causam cognoscere, & finire canonicè debuisset. Qui Metropolita cognita causa, prolataque sententia, cujus tibi exemplaria misimus, prædictum Casiopi Castrum sub potestate, ac jurisdictione Corcyritani Episcopi, cujus & semper fuit Diœcesis, esse distinxit. Quam nos sententiam comprobantes Apostolicę Sedis auctoritate prævidimus confirmandam.* Sed pro priori ad hanc contentionem Episcopus Euriæ fuit coactus ad propriam Ecclesiam deserendam, ut demonstrant hæc epistolæ 7. verba: *Relectis igitur Fraternitatis tuæ* (Alcysonis)

nis) *Epistolis, quę de Cassiopi Castro, quod in tua situm est Diœcesi, ab Episcopo Euriæ civitatis prius, vel modo sint acta cognovimus: & contristati sumus quod hi, qui Ecclesię tuæ pro impensa sibi caritate debitores esse debuerant, ei inimici magis fieri nullo sunt pudore prohibiti. Denique ut contra Ecclesiasticam ordinationem, contra Sacerdotalem modestiam, contra sacrorum Canonum statuta prędictum Castrum de jurisdictione tua abducere, ac suæ molirentur potestati subjicere; ut fierent quodammodo Domini ubi prius suscepti fuerant peregrini.* Ergo ex quo in epistola 12. ejusdem XIV. libri pax cum Langobardis facta constet oppositum potius suspicari debebatis: quia si tunc, hoc est sub finem anni 603, vel, ut in nota-i-ad hanc 12. dicitur, mense Novembri Indictionis septimæ pax cum Langobardis facta fuit, hi prius bellum gerebant; atqui prius coactus fuit ad deserendam Ecclesiam Episcopus Euriæ, ut denotant verba adducta epistolæ 7. & 8. hujus ejusdem libri: ergo vestræ suspicionis fundamentum potius ejus oppositum confirmat.

Nec obstant illa 13. epistolæ ejusdem libri verba: *ut tempore quo, miserante Deo, pace reddita, illi ad propria fuerit revertendi licentia*; quia ut de recta constitutione ejus dubitetur sufficit, vel nota temporis duorum codicum Tellerianorum ubi *mense August. Indict. VI.* data legitur; vel illud verbum: *Post longum vero tempus suprascriptus Petrus capitulare protulit.* Nam etsi data *mense Ianuario Indictione VII.* ut in nota e-ad eam, concedatur, prædictum verbum non convenit cum nota temporis septimæ epistolæ, & octavæ. Præterquamquod duorum mensium tempus sufficiens non erat, ut octava mense Novembri Bonifacio data ad Constantinopolim, & Bonifacii rescriptio ad Romam perveniret: quod quidem requirebatur, ut decima tertia, quæ est hujus litis sententia (quam dispositam mense Augusto Indictionis VI. conjicio) cuilibet partium daretur: etenim dixerat Gregorius in octava: *Sententiam nostram nulli dare prævidimus ne contra jussionem clementissimi domni Imperatoris, vel, quod absit, in despectum ejus aliquid facere videremur.* Et paulò infra: *Qua in re omninò danda opera est ut, si fieri potest, etiam jussionem suam ipse tribuat, in qua ea, quę à nobis definita sunt, servari præcipiat.*

(*mmm*) *Lib. IV. c. VIII. n. VII. De epistola 15. lib. 14. quam Theodoro Ravennæ Curatori missam conjicio.*

(*mm*) Omnibus epistolis Mariniano Ravennæ Episcopo, & Theodoro ejusdem civitatis curatori, seu Procuratori à S. Gregorio missis perbellè lectis conjeci decimam quintam lib XIV. de qua in hoc numero sermonem facitis prædicto Theodoro directam fuisse, eamque post trigesimam secundam lib. XI. constitui debere. Sed quia in nota-a-ad illam ex titulo *Gloriam*, qui bis in textu legitur, ejus inscriptionem scilicèt *Gregorius Anthemio Subdiacono*, falsam esse, & nil amplius indicastis; atque in hoc numero *ad quemdam ejus familiarem scripsit* tantùm dicitis, utriusque partis meę conjecturæ en rationes ut ad proprium locum restituta, de illa in num. III. cap. V. hujus libri IV. fiat mentio.

Primæ partis ratio est quod hujus epistolæ character penitùs convenit cum illo, quem in omnibus epistolis Theodoro datis persequitur Gregorius. Hæ sunt 98. lib. IX. quæ sic incipit: *Licet multa de vobis ad nos omnia, referentibus Responsalibus nostris, quæ animos nostros lætificarent pervenerint: nunc tamen remeans filius noster Probus Abbas tanta de Glorię vestræ amplius caritate retulit, quanta de bono revera, & christianissimo decet filio prędicari.* Sexta lib. X. cujus initium est: *Quamvis Glorię vestræ bonitas semel sibi commendatos nesciat oblivioni mandare; verumtamen scientes hęc eadem iterata carissimum filium non onerosè suscipere, scribere nos quę jam dudum scripsimus non piget.* Sexta lib. XII. *Quia sic de Gloria vestra, sicut de carissimo revera filio omninò præsumimus, certi de vobis, eos qui nostri sunt commendamus.* Quadragesima septima lib. XIII. *Postquam sic de Gloriæ vestræ sinceritate præsumimus, ut vestros vos credamus reputare qui nostri sunt.* Et paulò infrà: *Sed quoniam paterna commendatio boni filii mentem solet semper accendere*; undè cum decima quinta lib. XIV. incipiat ita: *Quia Gloriam vestram fixam valdè, atque stabilem in suis esse moribus audio, multum lætificor,*

ficor, & sic vobis quæ mihi displicent, sicut speciali filio fiducialitèr loquor; de convenientia characteris ejus cum omnibus aliis nemo dubitare jam potest, vel primam meæ conjecturæ partem aliquantillùm labefacere.

Secundæ verò partis hæc est ratio: Supposita ejus præsenti constitutione fuit proculdubio data mense Ianuario, vel Februario Indictionis VII, ut ex nota temporis præcedentis Epistolæ deducitur; sed in ea ait S. Gregorius: *De qua re.... per latorem præsentium*, & paulò infrà: *Hic autem quanta necessitas, & quæ nos mala constringant.... ex Epistolis Fratris, & Coepiscopi mei Mariniani potestis agnoscere*: ergo ad Marinianum *per latorem præsentium* tunc etiam Gregorius Epistolas mittebat, in quibus de necessitate, & malis, quæ eum constringebant, loquebatur. Atqui pro priori ad hanc decimam quintam illa, quæ Mariniano missa proximiùs reperitur, est sexta hujus XIV. libri, quæ, præterquamquòd nil de necessitate, & malis, quæ Gregorium constringebant, continet, mense Octobri Indictionis VII, data, apertè constat; & ex viginti tribus, quæ fuerunt Mariano missæ, ut in Epistolarum Indice Alphabetico apparet, solùm in trigesima secunda lib. XI, Gregorius ita Mariniano loquitur: *Latore huc præsentium Candido Abbate....veniente.....contristatus sum quod ejus, ut volui, præsentia frui non potui, quod me, & ægrotum reperit, & discedens in infirmitate adhuc positum dereliquit. Multum enim jam tempus est quod surgere de lectulo non valeo. Nam modo me podagrę dolor cruciat modo nescio quis in toto corpore cum dolore se ignis expandit .... Quantis autem aliis necessitatibus extra hæc quę retuli infirmitatis afficiar, enumerare non valeo*. Post hanc ergo constitui illam debere inficias ire nemo audebit.

Hæc sunt, RR. PP. quæ notabilia in vita S. Gregorii Magni à vobis adornata reperi; quæque vos precor, ut ea, quæ Viros doctos, & religiosos decet, benignitate accipiatis, & quidquid ex eis minùs firmum vobis videatur meę exiguitati condonetis, vel, ut amplius fulciam, ostendatis. Nam de pluribus silui: quia intelligentibus pauca. Ea tandem, qualitercumque sunt, judicio S. R. E. humillimè summito. Data Matriti die 17. Octobris anno Domini MDCCLIII.

Vester obsequentissimus Servus

Petrus de Castro.